

BIBLIOTECA
FRANCISIANA



0A.3.7

127

SYNOPSIS
PHARMACOLOGICÆ GENERALIS
IN USUM AUDITORUM

AUCTORE

FRANCISCO SCALZI

ROMANI ARCHIATHENÆI PROFESSORE



ROMÆ
EX TYPOGRAPHIA SINIMBERGHI
1863.

SYNOPSIS
PHARMACOLOGIÆ GENERALIS

IN USUM AUDITORUM

AUCTORE

FRANCISCO SCALZI

IN ARCHIGYMN. ROM. P. PROF.
ARCHIATR. URBIS SOC., NOSOCOMIOR. MED. PRIM.



ROMÆ
EX TYPOGRAPHIA SINIMBERGII
1863.

Quantum potes in philosophiam secede;
illa te suo sinu proteget, in hujus sacrario aut
tutus eris aut tutior. (SENEC. EPIST.)

Auditoribus

Multifaria Auctorum consarcinans in pauca ad memoriae praesidium redegei, universalem potius pharmacologiae generalis prospectum Vobis exhibere cupidus, quam scientiam remedium singulis partibus expletam. Selecta Scriptorum Excelsium omni aetate florentium me in praetextenda hac subsidiorum doctrina duxerunt, experientiae oraculo non excluso. A Neothericis haud abhorrens, et vetustioribus artis confisus, ita me gessi ut utrorumque optima, rationi, praxi et consensui universali consona promulgare sategerim, quibuscumque adhuc dubiis et pendentibus omissis. Maximam, qua materies versatur, difficultatem superare enixus brevitatem, ordinem et perspicuitatem, vanae dicendi gloriolae, et mellitae orationis lenociniis praeposui.

Non pompa enim verborum censui, sed argumentorum robore tyronibus eloqui. A praeconceptis ac sophisticis systematicorum Medentium opinionibus vindicatam medicaminum interpretationem objiciam, et difficultatibus, quibus proh dolor! plurimis stipatur, quatenus potui, expoliatam.

Hisce hinc, Vos, pharmacorum doctrinis suffulti in vasto praxeos gurgite pervagantes non leve artis medicae fulcrum habebitis, quod cordate exopto et aegrotantium bono ac scientiae decore foret magnopere sperandum. Estote felices.

PHARMACOLOGIA GENERALIS

PROEMIUM

I.

Pharmacologia generice accepta, disciplinam medicinae significat, quae pharmaca quaque versus spectat.

II.

Ab *Acographia* discriminatur quae omnia artis medicae subsidia amplectitur, sive sint diaetetica, pharmacologica, aut chirurgica.

III.

Dirimitur in generalem et particularem; prior generalioribus pharmacorum notis continetur; altera quodvis pharmacum rimatur, et *materies medica* etiam audit.

IV.

Homini coaeva ceteras Medicinae disciplinas antecedens, primo instinctiva, dehinc scientiae honorem pertinuit.

V.

- Sequentibus praecipue innititur doctrinis.
- A. *Pharmacognosia*, cui pertinet extrinsecas pharmacorum notitias recolligere, et in differentias accidentales vertere.
 - B. *Pharmacodynamia*, quae vires remediorum, et facultates investigatur.
 - C. *Pharmacotaxia*, sub qua in classes subsidia partiuntur.
 - D. *Pharmacocresia*, quae regulas dictat, remedia admovendi, et ministrandi.

CAPUT I.

DE PHARMACOGNOSIA.

VI.

Remedium est id quodcumque quod corpori admotum mutationem quamdam efficit, qua morbus ex parte, aut ex integro depellitur.

Omne hinc quod natura ministratur, in bonum et sanitatem verti queit, vel regnum animale suppeditet, vel vegetabile, aut fossile; quavis gaudeat natura et forma; cujusvis sit status, compositum sistat et ponderabile, vel simplex et imponderabile.

Diversimode interea admoveri potest, intrinsecus nempe ingeri, ut saepius, atque exterius applicari.

Urget quoque ut corpus quomodocumque immutationem subeat sive physicam, sive chemicam, sive dynamicam, secus nulla correctio, et curatio habebitur.

Modo tandem aegritudo lenitur tantum, modo perfecte aufugit. Immo saepius infirmitates vicissim sublevantur, et gradatim ad integram resolutionem per diversa rimedia ducuntur, quam raptim, aut uno ictu suffocentur.

Quod si aliquando remedia Sanitas non excipiat, minus ipsis remediis hoc tribuendum, quam aliis obstaculis aliunde petendis.

VII.

Sunt qui, uti illustris Bruschi, inter remedia et alimenta ac toxica discrimen maximum ponunt, in definitione attendendum. Sed perperam. Nonnulla namque ex diaeta morborum correctionem moliuntur, uti lac, gelatinosa, pinguis, et alia; coetera porro curationi obsecundant. Toxicorum etiam virtuti sanationes quaedam referri debent, dummodo rite utantur. Ex eo igitur alia ab aliis dumtaxat abludunt, quod alimenta nutriunt, vel medentur; remedia explicite curant; et toxica vel laedunt, vel sanant.

VIII.

Definitione remedii jam exarata, perpendenda veniunt extrinsecae illius notae, ex qui-

bus prima exurgit pharmacorum divisio, sive *accidentales* eorum *differentiae* sese prodeunt. Alibi enim (§. LVI) de intrinsecis pertractandum.

Tot interim dictae differentiae esse possunt, quot extrinsecus remedia variant. Praecipuas attingens, origine immorabor, actionis gradu, et virtutis extensione, iisdemque sub rationibus in respectivas Sectiones partiar.

Quoad originem, remedia in inorganica et organica, vel in *mineralia*, *vegetabilia*, et *animalia* dividuntur.

IX.

Inorganica *passive* existunt, natura gaudent *immutabili* ac virtute certa et constanti. Conflantur praeterea minori elementorum proportionem et tenaciter cohaerentium, ideoque ad assimilationem reluctantium. Ex quibus minus oeconomicae affinitas *gravius* se gerunt, et *diutius* corpori immorantur.

X.

Quae ex adverso a regno organico deprompta, principiis struuntur multiplicibus, et minori affinitate conjunctis, *comiter* fibris offi-
ciunt, adsimilationis officinis subji-
ciuntur, *citius* educi consuescunt, et actionem minus certam exerunt.

XI.

Quae inconstantia faciunt vegetabilia sunt: climata et vegetationis momentum, quae nempe evolutioni inserviunt et plantarum productis propiciunt. Hinc elementa medicinalia, sive sit balsamum vel oleum essenziale, aut gummi vel resina, nec copia semper nec effectu eodem stipantur, prout recensitae circumstantiae variant.

Diversitati regionum styrium diversitas respondet, et locorum immutatione, saepius plantae a natura sua ita recedunt, ut nisi longo temporis lapsu reprimantur, aut vitiantur perpetuo. Coffea Arabica sit exemplum, aut Papaver Sonniferum, quae nativam praestantiam alibi amittunt. Quare exoticorum cultus neque utilis semper, neque laudabilis videtur.

XII.

Gradu etiam et natura vegetabilium facultas, juxta diversum vegetationis momentum, discerniri consuescit.

Elementa enim medicinalia ipsis innascuntur sub diversis evolutionis periodis: atque hinc balsama, essentiae, olea, alkalina, et coetera alia nisi praefixis vitae aetatibus fiunt, aut ad perfectam vegetabilis maturitatem contingunt. Ex hoc explicatur cur idem vegetabile modo edule, modo medicinale, et modo toxicum evadat.

XIII.

Non solum vero naturaliter (ut supra §. XI. XII.) sed et artificialiter vegetabilia immutantur, prout unus aut alter praeparandi modus adhibeatur. Utrum videlicet exiccationem patiantur, vel expressionem, aut destillationem, aut dissolutionem sive aquosam aut alcoholicam, et ita porro, virtutes diversimode explicantur.

Ratione tandem temporis, actiones differunt; ut si vegetabilia sint vetusta nimis, aut nimium recentiora, chemice subvertuntur, et a propria essentia recedunt.

XIV.

Remedia animantis originis pauciora sunt, et ex maxima parte ad dietam pertinent. Modo integrum animal medicinae inservit, uti melöes vesicatoria; modo quodquam ipsius membrum ut caro viperarum; modo denique animantium productum, uti fel taurinum, aut. variae lactis species. Plurima superiorum actatum usitata, hodie prorsus desueverunt. Ad duplicem speciem referuntur, ad *nutrientia* ac *demulcentia*, et ad *stimulantia*.

XV.

Alimentationis genus et climatis pharmaca animalia immutat. A pascuorum selectu optima

animalium sanitas, carnum et productorum bonitas petenda erit; a diversitate hinc quoque herbarum omnis pene brutorum differentia tum sub bromatologiae, quam sub pharmaciae respectu. Quaedam sunt alimenta, quae in sanguinem et humores illico ferme immutata transferuntur, ceu allium foret, asparagus, et alia. Inter animantia ipsa, quae vegetabilibus vescuntur, mitius operantur, et potius diaetae servantur; quae carnibus utuntur, vel pharmaciae, vel toxicologiae spectant.

Idem prorsus dicendum de climatum influxu, cujus opera (cei vegetabilia §. XI.) bruta etiam diversitatem suam patiuntur. Quae sub coelo tepenti atque humido degunt, vitam desidem agunt et ministrant carnem flaccidam, ac ferme inertem, quae sub temperie vivunt frigidiore, elastica ac sicca, alacrius se gerunt, principiis vehementioribus scatent, ac viribus medicinalibus potioris naturae.

XVI.

Remedia dehinc differunt (ut diximus §. VIII) actionis gradu. Discriminantur igitur in *mitiora*, *actuosioria*, atque *heroica* sive valentissima. Saepius prioribus, et rarissime postremis uti praestat, contra audaciores artis ministros, qui absque necessitate ad heroica pro lubitu accedunt, cum maxima aegrotantium acrumna.

Nonne hodie frequentius quam par sit, jodatis et arsenicalibus Neotherici uti consueverint?

Monendum quod mitiora, aucta dosi, valentissima fiunt, et vicissim heroica, imminuta quantitate, mitiora evadunt, verum vero sunt quae paucis, et repetitis praebitis ministrata diu corporis penetralibus latitantia, ex improvviso tandem erumpunt, ac vehementius operantur, ut mercurialia essent quae alte obducuntur, donec venerorum more explodunt. ⁽¹⁾Alia autem quamplurima licet strenua, ab insidiis hujus generis satius nos vindicant, et impune in morborum curatione vertuntur.

XVII.

Ob actionis extensionem (§. VIII.) pharmaca dicuntur vel *universalia* vel *particularia*, prout plures sanant morbos vel unam aut paucas ejusdem generis aegritudines depellunt. Universalia igitur vel *polycresta*, ut veteres agebant, non universam morborum familiam castigant, sed pluribus aegritudinibus obveniunt. Confundenda igitur cum panaceis non erunt, quae ab agyrtis ad explendam lucri libidinem effingi solent. Pro sunt interim pluribus morbis, aut quia immutationem quamdam pariunt, diversis infirmita-

⁽¹⁾ Illustris FORGET, ut res explicetur, ad difficilem solubilitatem confugit. (Princip. de Therap. p. 140 Paris 1860).

tibus utilem aut quia plures explicant virtutes, variis morbis accomodatas.

XVIII.

Alias practeream remediorum divisiones minus utiliores, et primo dictu explicabiles; uti sunt remedia *externa*, et *interna*, *simplicia*, et *composita*, et nonnulla alia, quae usus satius vos edocebit.

CAPUT II.

DE PHARMACODYNAMIA

XIX.

Intimam remediorum naturam doctrina haec respicit, facultatem scilicet et virtutem subsidiorum. Primo igitur explicare enititur *actionis rationem*: Secundo, *immutationem* corporis physiologicam interpretatur huic actioni subsequentem, et organismi *reactionem*. Tertio *nexum* illustrat qui inter immutationem physiologicam, et correctionem pathologicam, sive *virtutem therapeuticam* intercedit. Quarto *criteria* suppeditat, quibus recentiorum pharmacorum virtutes investigantur.

Articulus I.

DE REMEDIORUM ACTIONE.

XX.

Pertractare aggredimur argumentum ambage omni ac difficultate stipatum. Abditam aut explicatu difficiliorem reddunt materiem, Physiologiae, et Pathologiae defectus, quae viam therapeuticis investigationibus sternere deberent. Adde multiplicia sectarum, atque hypothesium discrimina, quae uberiores Medicinae profectum impediunt, celerioresque gressum remorantur.

XXI.

Qui Humorum doctrinam sectantur praecipuis. Galenus, et ejusdem Asseclae morbos cujusvis sint generis, levis liquidis inniti satagentes, omnem pharmacorum virtutem in correctione liquidorum collocarunt. Tribuerunt hinc remedia in *alkalina*, *acida*, *antiputrida*, *antacida* et sic de cœteris prout unum, aut aliud vitium castigare autumaverint. Quod si ex parte hypotesis hujusmodi admitti debeat, exclusive accepta errorem includit.

XXII.

Inter Veteres non defuerunt, nec quidam desunt hodie, qui physicis legibus animalem oeconomiam gubernari senserunt, tum sub sanitate, tum sub aegritudine considerata: morbos idcirco emendari posse contenderunt remediis physica tantum et mechanica ratione agentibus. Therapiam hoc pacto quaqueversus physicam struxerunt, eodem vitio (ut supra de antecedenti innuimus) culpandam, mechanica scilicet actione innixam, chemica, et dynamica facultate praetermissis.

Pharmaca quoque ad eorum mentem dispecisci debent, in *adstringentia* ⁽¹⁾ *relaxantia*, *coagulantia* *diluentia*, *temperantia*, *deostruentia* ecc. neglectis coeteris remediorum virtutibus.

XXIII.

Chimijatriae historia ab Empedocle hinc Galeno exorta, Paracelsi, et Wanelmontii aevo ad fastigium evecta, nonnullos etiam hodie sectatores recenset, inter quos Foureroy, Beaumè, Girtanner, Bartel, et Bourdac praestant. Chemica fundatur circa morbos, et medelas theoria, aegritudinem quamlibet in chemico vitio

(1) SCUDERI pag. 71. Histor Med.

collocari opinantes, et omnem subsidiorum vim ad chemicam operationem reduci. Hanc ideam utpote exclusivam refutamus, coeteroquin veram ex parte ac phatologiae, et therapiae maximo-pere idoneam existimantes. Sistunt namque remedia, quae corpus chemice immutant, atque ea ipsa propria constitutione immutantur, sed alia dynamicam explicant actionem, et pene intacta elabi constat, aut si sub minima dosi ministrentur strenuos tamen effectus edunt. Haud denegabimus interim chemice se gerere quum sanguinem castigant, humoresque vitiis quamplurimis vindicant, uti antisphyllitica essent, antiartritica, antirachitica, vel antilytiaca.

XXIV.

Electricitatis doctrinam nonnulli tradunt, universae prorsus pathologiae explicandae, ac therapiae, quibus objicimus alte adhuc electricam naturam obduci, vix aliquando morbos explicare, et pharmacorum operi vix praesse. Adnotandum tamen remedia omnia ad duo tantum capita reducenda forent, electrico-negativa, et electrico-positiva, quod sterilem porro, atque aridam pharmacologiam efficeret.

XXV.

Postremo tanti habetur a quibusdam vitalis vis, ut huic imperio omnem pathologiam

vellent, et pharmacologiam universam subijcere. Dynamici igitur nec physicam quidquam, nec chemicam actionem considerant aut parum eis concedunt. Correctiones igitur omnes ex toto ab influxu dinamico remediorum expectant, quod falsum evincitur ab existentia quamplurimum morborum organicæ indolis, a physica nonnullorum subsidiorum afficiendi ratione, et arctissimo virium et corporis connexu, quo fit ut prioribus laesis aliud laedi necesse sit.

XXVI.

Ex præfatis Auctorum sententiis atque hypothesebus concludendum, quavis quid veritatis includi, et quid falsi contineri; neque exclusive acceptam unam, aut aliam admitti posse. Eodem igitur remedio physica, chemica, dinamica actio retinetur, et electrica fortasse facultas, et pro unius aut alterius prædominio modo physica, modo chimica, modo dinamica pharmaca dici merentur. Quæ humorum densitatem attenuant scilicet diluentia, physice operantur; quæ sanguinis crasim sub componentium respectu mutant, chemica ratione explicantur; quæ incitabilitatis modum, aut gradum attingunt dynamicam virtutem gerunt.

XXVII.

Lis adhuc exardescit inter Pharmacologos, utrum chemica remediorum facultas ad communem chemiam, vel ad peculiarem spectet, quam organico-animalem dicunt. Ex eo hanc postremam hypothesim secutus est illustris Bruschi, quod a dicta actione effectus gignuntur a communis chemiae effectibus maximopere abludentes. Interim chemia una est, ejusque leges eadem semper ubique servantur, ac subsequencia forent immutabilia, nisi obstacula ex parte animalis organismi intervenirent. Non igitur ex diversa chemiae essentia, sed aliunde res petenda videtur.

Articulus II.

DE IMMUTATIONE CORPORIS
EX PHARMACIS, ET ORGANISMI REACTIONE.

XXVIII.

Duplex, et maximopere distinctum phenomenon pharmacorum actionem excipit, immutatio videlicet corporis, et organico-vitalis reactio, ex qua aegritudinum conditiones emendantur. Duplicis igitur ordinis effectus remediorum pullulant, priores dicuntur *physiologici*, quia in homine benevalenti etiam fiunt, e contra *medicinales* alii appellantur vel therapeutici, quia sanitati viam sternunt.

XXIX.

Primam subsidiorum impressionem passivo tamquam modo fert corpus, hinc effectus physiologici vocari possunt etiam *passivi*: ex adverso *activi* sunt qui a reactivitate organico-vitali proficiscuntur.

XXX.

Proinde fluit remediis actionem certam neutiquam esse, neque constantem, sive modus spectetur, sive gradus. Namque pharmaca afficiunt oeconomiam organico-vitalem, quampluribus ac diversis circumstantiis submissam, iisdemque varimode receptibilem ac respondentem.

XXXI.

Plurimum praestat conditiones recensere, quae variam faciunt medicaminum virtutem. Nonnullae aegrotantibus spectant, aliae ad morbum ipsum referuntur. Primi generis sunt aetas, sexus, temperamentum, hydiosincrasia etc: alterius ordinis multiplices morborum indoles, quae vitalitatem et dynamicas reactiones mutant.

XXXII.

Infantes, et pueruli ex praedominio encephalico aegrius narcotica tolerant; quare improbandus muliercularum mos, quae citius, et sine medentis consilio, ad dicta sopientia confugiunt. Quae excalefaciunt haud congruunt juvenibus, ferventis potissimum naturae. Male mutantur saepius qui ad virilitatem pervenerunt pinguibus substantiis, atque incrassantibus; segnius moventur senes vel calidis atque irritantibus.

XXXIII.

Sexus quoque variabilitatis rationem sibi vindicat in remediis ferendis. Segnior mitioribus, virilis valentioribus pertractari convenit, prior enim citius, tardius alter commoveri solet, atque incitari.

XXXIV.

Eadem valeant quoad temperamentorum species. Frigidis juvantur potius sanguinei, quam calidis, et stimulantibus; qui biliosa pollent temperie remediis subducentibus, et nutrientibus onerantur. Comifer lymphaticos homines tonica et adstringentia afficiunt, hostiliter ex adverso quae diluunt, demittunt, aut subjiciunt. Qui ner-

voso laborant temperamento sub irritantium usu, aut submoventium convelluntur saepius, aut in pejora ruunt.

XXXV.

Perpendi tandem debent variae hydiosincrasiae species, quae et diversam pharmacorum facultatem reddunt. Sunt igitur qui remediis licet levioribus, et minima dosi administratis, vehementius impelluntur, et qui nisi summis et strenuis moventur. Quaedam remedia, etsi aliis saepe utilia, maxime quibusdam adversantur. Memoria adhuc manet foemina cassiae usu cholicam saevissimam passa: neque aegrotans aufugit mihi, qui (ut ab auctoribus fertur) drasticorum halitu tantum abunde purgabatur. ⁽¹⁾

XXXVI.

Ex latere morbi: totidem habentur circumstantiae quibus therapeutica efficientia discriminari queit. Quaedam exempla hic loci referam: sub cholerae, aut perniciosae hujus nominis, algore, epispastica licet strenua, neque cutem excitant, neque rubedine afficiunt; idemque obvenit incitantibus intus ingestis, quae neque vi-

⁽¹⁾ Domin. Panaroli Antrologium. Romae 1670 P. 253, Schenekii observ. Med. Zuyd. 1643. P. 889.

Hisce, quae praemisimus, non obstantibus, cuilibet remedio propria ac peculiaris agendi potestas inest. Quamvis igitur quodlibet pharmacum pro diversitate circumstantiarum actione differat, propriam tamen operandi facultatem servat. Particulari quo characterе licet unumquodque a caeteris discriminetur, per alias tamen proprietates cum quibusdam aliis consociatur. Hinc exorta est differentiarum theoria, et in classes pharmacorum distributio, ceu satius in pharmacotaxia spectabimus.

Propterea excludi debet omnino quod plura remedia perfecte aequalia, aut absolute opposita occurrant, ut unum alterius identicam vim repraesentent aut effectus ex integro de-

struat. Refutatur *identitas pharmacologica* a ratione ipsa, quae suadet proprietates corporum, physicae sint vel chemicae, saltem parum, differre. Addite insuper elementorum proportionem, quae neque ipsa aequalis servatur, et absimilem analogorum vim facit. Hoc idem prorsus *therapeutico antagonismo* adversatur.

XXXIX.

Substituentia igitur pharmaca succedaneam potius naturam, quam identicam ducunt. Indiscriminatim igitur neque simillima et eidem classi, generi, aut speciei pertinentia usurpari possent, sed suis tantum circumstantiis quaevis medela aptari: sit subducentium exemplum, quae tot, tantisque modis alvi expiationem movent. Rhabarbarum biliosas dejectiones provocat, salia neutra serosum profluvium gignunt, drastica muci eductionem determinant. Quodlibet interea, modo et gradu aliisque circumstantiis, peculiariter explicatur. Ex quibus improbandus eorum mos, qui sine ullo selectu, curationes perpatratur.

XL.

Ad reactionem organico-vitalem, quae sub remediis excitatur, revertens animadverti oportet quo ipsa perduret, atque extendatur. Perpauca

auxilia citius explicantur, et temporis momento vix corpore immorantur: caetera omnia diutius permanent et in longius producuntur. Plus igitur minusve diutina esse solet medicinalis facultas. Series autem, et successiva effectuum sequela, partim ab actione ipsius remedii, partim ab insequenti reactionis vitalis exercitio pendet, quae medicinalem substantiam utpote inaffinem eliminare enititur. Educta hinc medela reactionis phaenomena utplurimum sistunt, namque aliquando, expulsionem jam confecta, medicaminum effectus ipsi supersunt. Hoc fit quod organicae immutationes a remediis enatae, vitales effectus citant, effectibus medicinalibus in longius persistentibus.

XLI.

Quam ob rem effectus remediorum in *primarios* siue *immediatos* scinduntur, et in *secundarios*, seu *mediatos*: priores descendunt ab immediata medicaminum impressione, posteriores a vitali reactione. Plurimum recentiores praefata phaenomenorum distinctione adlaborantes, in optimam subsidiorum interpretationem venerunt. Magna hinc lis circa camphoram, opium, digitalem, utrum unam, aut aliam classem pharmacorum intrent, disparuit penitus, primariis et secundariis eorum effectibus pensitatis rite ac distinctis.

XLII.

Sequitur circa subsidiorum actionem, ut explicem *electivam* eorumdem facultatem. Est remedium sese ad quamdam corporis partem dirigendi facultas. Elective igitur explicatur *Atropa Belladonna*, quae iridem aggreditur; idem erit de *Strychnina*, quae spinalem medullam appetit, aut de cantharidibus, quarum virtute colum cystidis orinariae praediligitur.

XLIII.

Electivitas quae omnibus fortasse remediis inhaeret modo obscure latitat, modo evidentius demonstratur. Sequentibus spectabilius effulget: retinam, atque encephalum seligunt *Datura Stramonium*, et *Hyosciamus niger* vel albidus: ad nervos gastricos *Magisterium Bismuthi* transfertur; ad glandulas *Jodium* ducitur: ad apparatus salivale *Mercurius*: ad fibras musculares ventriculi *Tartarus Stibiatus*. *Secale corniculatum* praeterea ad apparatus uterinum ducitur: *Therebintina* urinariis ductibus fertur: mucosam genito-urinariam *Copaiva balsamum* seligere suescit: ut de quampluribus aliis minus notis taceam.

XLIV.

Singulis spectet remediis Electivitas nec ne, modo investigandum. Qui negant, exemplis re-

mediorum fidunt, quae universalem explicant actionem nulli organo, aut visceri perstrictam. Qui affirmant, inter quos ipse, praeter generalem et specialem, quamdam aliam in dietis remediis vim admittunt, quae aut functionem, aut unam vel aliam oeconomiae partem aggreditur. Opium ex. gr. universaliter nervorum systema deprehendit, sed praecipua ratione cerebrum afficit. Quin immo sunt qui ex ipsa topica actione universales effectus explicant, priorique alligant, quod quidem adhuc incertum existimandum censemus.

XLV.

Operae pretium esset electivam cujuslibet pharmaci virtutem defigere, atque aegritudinum therapiae addicere, quod longe adhuc a perfectione abest. Tentari possent singula in homine bene valente, ne influxu morborum possent effectus interturbari, aut cum symptomatibus confundi: pluries pluribusque individuis, et circumstantiarum differentiis repeti atque experiri, non sine medentium, et infirmorum lucro. Nonnullis enim morborum conditionibus obvenire certius ac promptius datum foret, quod vehementer exoptamus.

XLVI.

In dissitas interim Auctores abierunt sententias quoad electivitatis interpretationem. Hypo-

theses omnes ad *mechanicam*, *chimicam*, et *physiologicam* reducuntur, de quibus citius me expediam.

XLVII.

Qui mechanicam fovent theoriam maximi faciunt varias porulorum dimensiones, atomorum magnitudinem, et utrorumque respectum et relationem. Hinc textus, non secus accribra, suam quisque figuram atomorum, et extensionem desiderans, uni potius quam alteri viam panderet, incongruisque occluderet. Error patet ex hoc quod minores globuli omnes indistincte poros pervaderent, sine ullo electionis discrimine. Immutato hinc remedii statu, et atomorum calibro, electiva tamen facultas servatur, quod nullo fieri posset pacto.

XLVIII.

Chemicas Alii reactiones in medium ducunt, quae inter moleculas remediorum, et corporis elementa fiunt. Propterea quod respectivum organon medela quaelibet seligeret, chemico dumtaxat nutu ducta. Sed haec quoque opinio ruit, ubi animadverti velit quod immutato licet pharmaci statu, et chemica constitutione diversa, electionis tamen virtus eadem atque intacta perdurat. Revera strychnina sit, vel sul-

phas, vel Murias, vel azotas hujus basis adhibeatur, spinalis medulla perpetuo afficitur. Atropa belladonna vel sub statu alkalino, vel salino, pupulae dilatationem aequae semper determinat.

XLIX.

In subsidium vocant, qui physiologicam sectantur doctrinam, naturae reagentis impetum, cujus opera hostilis remediorum substantia ad emunctoria impellitur, et foras corporis educitur. Ad hanc hypothesim accedunt quod videant passim electiva remedia secretionum organa pervadere, ac transgredi. In auras item haec sententia abit, quoties spectetur alia corporis organa nulli secretioni addicta, ceu quae functiones animales exercent, aequae facilius remediis electivis attingi. Vide revera quot cerebrum et medulla, et plexus nervorum subsidiis tententur! Neque ipsi interpretantur satis quae de ratione vis naturae ad unum potius, quam aliud secretionis organon eadem constantia medicamen pellat: contra comunem morbosae materiei educationem, quae quibuscumque variisque emunctoriis fieri solet.

L.

Magis alia nobis arridet opinio ex physiologicis principiis desumpta, electivitatem reme-

diorum ad quamdam appetitus speciem referentibus. Analogiae enim argumentis suffragatur, quibus abunde edocemur functiones nonnullas, et praesertim universalem nutritionem, et secretiones sub statu physiologico dicti appetitus organico-vitalis exerceri ac perfici jussu.

LI.

Ab electivitate nuper exarata, ad *specificitatem* subsidiorum transitus fiat. Specificorum nomen sibi remedia adsciscunt quae *morbum quemdam absolute, certius, occulte, atque exclusive depellunt*. Absolute extinguitur aegritudo nullis scilicet reliquiis, et complicatione quapiam cassa. Certitudo sanationis sub comparisonis sensu admittitur, videlicet relate ad caetera artis subsidia, quae inconstantius prodesse consuescunt. Abdito operantur modo atque occulto, citra nempe comunem remediorum vulgarium rationem, ad actiones organicas, aut dynamicas aperte referendam. Aegritudinem tandem destruunt exclusivo prorsus jure; ita nempe ut nullum subsidiorum aliud quomodocumque ad hoc valeat. Quae quidem omnia in cortice peruviano coacervari videntur, qui intermittentes febres uno ictu jugulat, paucis casuum exceptionibus, quin satius interpretari possit, aut aliis artis medicae adminiculis substitui.

LII.

Vis specifica ab electivitate plurimum discriminetur; et primo quia altera specialem remedium agendi rationem indigitat uti antypyreticam China-Chinae, vel antisiphiliticam Mercurii: altera simplicem directionem pharmaci ostendit, quin quadam facultatis specie occupetur. Inter sese insuper abludunt quod specifica dantur sine electione, et electiva absque specificitate habentur, neque una ab altera nota dependet. Mercurius enim qui specificè luem veneream fugat cum glandulis salivalibus electivitatem licet servet, et salivationi faveat, neque a dicta directione, neque a pyalismo medicinalem vim repetit. Collum cystidis urinae cantharides elective urgent, nullam interim specialem aegritudinem levant. Una tandem ab altera recedit quod facultas electiva homine benevalente, specifica ex adverso morbis presso explorari oporteat; prior namque sub sanitatis statu innotescit, posterior processus pathologicos immutans, nonnisi morbis vigentibus patet.

LIII.

His propositis, ad ea deveniendum quae comparisonem explicant, inter remedium actionem et causarum morbificarum interce-

dentem, maxima enim effectuum analogia approximantur. Ex qua veluti affinitate nonnulli morbos discriminari posse satagerunt in *naturales*, si causae communes fuerunt, et in *medicinales* si a pharmacis fluxerunt.

LIV.

Primum hujus affinitatis argumentum erit quod actio utriusque causae tum morbosae, tum pharmalogicae, relativo prorsus modo explicatur, non absolute igitur, sed relate ad conditiones morbi atque aegrotantis. Infirmorum igitur, vel aegritudinum circumstantiis causae laedentes aut pharmaca diversimode sese gerentes, modo majorem modo minorem effectuum gradum determinant, et vel unam, aut aliam effectuum congeriem. Adsimilantur secundo ex specificitate actionis, quae ab utroque causarum sive morbosarum, sive medicinalium genere servatur. Quoad remedia abunde hoc (§. XXXVII.) jam innuimus, idemque circa communes causas probatur, quae iisdem pathematum speciebus ut plurimum stipantur. Constat tertio praefata analogia ex actionis duratione, quae donec causa intervenit continenter manet, non secus ac (§. XL.) de pharmacorum actione ac mora statuimus. Quarto affinitas signatur a facultate electiva quae remediis spectat (§. XLII.) et pathogenicis elementis,

quorum exempla erunt sequentia: podagra quae articulos praediligit, tuberculosis quae pulmonibus reservatur, syphilis quae lymphaticas glandulas aggreditur, exanthemata, quae cutim defoedant. Postremo tum causae morbificae, tum remedia directe oeconomiam subvertunt, atque indirecte ad bonam valetudinem perducunt.

LV.

Decipiuntur tamen qui hoc analogismo confisi nullam aut minimam differentiam faciunt, quae elementa pathogenica proprie dicta a veris medicaminibus dividit. Immutationes namque sub remediorum administratione enatae verum morbum haud constituunt; neque a pharmacis aequae semper organico-vitalis materies permutatur. Quamplurimis namque humores naturales, aut morbosa quaedam substantia chemice directo modo attinguntur, quin corpus modificationem ullam patiatur. Effectus igitur remediorum licet morborum prima fronte videantur, initia sanitatis potius habendi forent. Nosse tandem juvabit praecepta haec de morbifica remediorum facultate, et de morborum vi medicatrice non latuisse Veteribus, contra neotericos qui dictae theoriae se auctores jactant.

XLI.

Hactenus extrinsecas medicinalis facultatis notas spectavimus, nunc interiorum illius essentiam, quo fieri possit, perscrutari enitemur. Praemisimus remedia aut corporis compaginem afficere, aut vires vitales, indeque eorum actionem natura sua esse vel *organicam*, vel *dynamicam*. Organica insuper physicas quum oeconomiae proprietates afficiant aut vero chimiques, in remedia physica. et chemica iterum partuntur, Dantur igitur tria omnium pharmacorum genera *physica*, *chemica*, et *dynamica*, ab essentia ipsius actionis deprompta.

LVII.

Enucleare juvat primo quae ad physica pharmaca referuntur. Ita appellantur quae *physicas solidorum humorumque proprietates permutant, paullo, aut minimi dynamicam facultatem attingentia*. Talia profecto dici debent quae cohesionem, elasticitatem, permeabilitatem partium afficere valent, aut in liquidorum densitatem, fluxilitatem, crassitiem explicantur. In dubiis enim mitti nequit vivens corpus non secus ac caetera inorganica iisdem physicae legibus subijci ac gubernari, quod dictum volumus contra physicae specialis, sive nimios organico-vitalis fautores. Hi namque primariam mechanicorum

subsidiarum actionem cum subsequentibus reactionis vitalis phaenomenis confundentes, ideam sibi effingunt phisicae actionis specialis quae potius actionis, et reactionis mixtionem refert. A physica namque remediorum facultate non excludere audemus aliam vitales potentias urgendi, sed praevalentem physico-mechanicam maximopere spectamus. Rite hinc physica habeantur quae maxime in physicis, et minime in chemicis aut vitalibus proprietatibus sese exercent.

LVIII.

Praecipua subsidiarum phisicorum genera, et exempla recenseam: 1.° Quae cohesionem solidorum aut fluidorum adaugent, uti nix, glacies, et adstringentia cujusvis sint generis: 2.° Quae nimiam partium humorumque spissitudinem ac densitatem mitigant, ceu emollientia, diluentia, attenuantia. 3.° Singula ea quae motum corpori impertiuntur, solidasque, fluidasque partes excitant, uti sunt emetica, herrina, cocteraque alia. 4.° Ad haec spectant quae temperiem animalem vel extollunt, vel demittunt uti balnea, fatus, adpersiones, ictus aquarum thermalium aliaque huiusmodi. 5.° Evacuantia quae mechanica actione subducunt, uti mercurius metallicus, glandes plumbei etc: Caeteris omissis, uti machinamenta, fasciarum usus, atque Chirur-

giae instrumenta, quae ad subsidia potius artis, quam ad vera pharmacologiae argumenta debent referri.

LIX

Physica remedia innotescunt sequentibus. 1.º Loco applicationis perstringi videntur, praesertim si cuti admota, minima in universum corporis diffusionem. Excipe quae ingesta sanguinem attingunt, ac per oeconomiam transvehuntur. 2.º Effectus determinant, qui diutius manent, contra brevitatem actionis, qua dynamica pollent.

LX.

Ex praefatis ad physicam medicaminum actionem pertinentibus, corollarium ad praxim utile fluxit sequens: ne scilicet nimis larga manu remedia haec praecipiantur; praeter enim topicam, aliam etiam universalem et dynamicam explicant potentiam, quae ex fibrarum et organorum receptivitate exurgens, maximi attendenda existimatur.

LXI.

Asseri usuvenit apud Pharmacologos *chemica* esse pharmaca, quae *crasim humorum*

aut elementarem textum constitutionem petunt absque ulla saltem gravi vel physica, vel dinamica immutatione. Physiologia edocet phoenomena quamplurima sub statu sanitatis fieri chemicarum legum imperio, ceu omnes prorsus assimilationis actus, a digestionem ad universalem nutritionem. Nonnulla etiam morbis quibusdam vigentibus, chemicae indolis Pathologia recenset uti lithiasis, podagrae, rachitidis producta. Monemur hisce similibusque immutationes chemicas naturae organismo contingere, neque inverosimile admodum esse remedia etiam nonnulla eadem ratione posse, suas facultates intendere.

LXII.

Verum vero non analogia tantum, sed et exemplis chemicorum medicaminum existentia suffragatur. Eorum nonnulla aperte patent, quaedam alia vix sinunt interpretari. Ad priora pertinent quae *absorbentia* dici consuescunt, aut *caustica*, *nutrientia*, vel *reconstituentia* nuncupari. Sunt alterius ordinis, seu abditae indolis, quae indeterminato quodam modo sanguinis, humorumque crasim castigando depurantia, aut alterantia audiunt.

LXIII.

Notatu dignum est praeterea chemicorum remedium operam celerius, vel diutius celebrari. Antidota ex: gr: illico operari usuveniunt uti acida quae alkalina venena destruunt, vel alkalina quae acidis toxicis adversantur: vicissim lentiori gressu nutrientia ad corporis restorationem incedunt, majori temporis spatio indigentia. Et ratio in promptu erit, quoties animadverti velit priora in elementa sibi ipsis libera immediate explicari; altera tot tantisque textibus humoribusque attactis iisdemque saepius copulata, ac tandem pluribus viis translata operam suam intendere. Quo monemur curationem ex antecedentibus brevius absolvi, postremis vero diutius perducere debere, nec subsistat nisi inchoatae sanationis argumenta satis pateant.

LXIV.

Licet innumera ad quinque tamen Classes chemica pharmaca perstringi apud Pharmacologos mos est. Reducuntur igitur ad

1. *Neutralisantia*
2. ad *Detersiva*
3. ad *Corrodentia*
4. ad *Nutrientia*
5. ad *Antidyathesica*; caeteris omissis minus notis.

LXV.

Neutralisantibus includuntur quae vel principia vel humores sponta sua nobis innata chemice attingunt atque elidunt, vel ab extrinsecus admota, atque ingesta infringunt: hinc vel *absorbentia* sunt vel *antivenefica*, *alexiteria*, aut *anthidota*. Nil evidentius quam chemica absorbentium facultas, acida scilicet abripiendi, ac in salia modicae indolis convertendi, quod alkalina mitioris naturae praestant; pariter patet chemice fieri alkalescentium humorum correctio, prioribus aut secundariis viis haerentium, ab actione acidorum medicinalium. Eo tandem anthidota venena enervare aestimantur quod toxicis materiis admodum copulantur, et a propria constitutione ita removere potis evadunt, ut inania corruant et impune patiantur.

LXVI.

Chemicam agendi rationem deterstva quoque includunt, illa namque quae ulceribus nimium fluentibus apposita, aut icore aut cancrena inquinatis, abstergunt, et ad bonam frugem ducunt absque ullo corrosionis interventu, aut quapiam materiae jactura. Partium morbo detentarum emendatio fieri suspicatur ob validam cum remediis admotis affinitatem, qua

materies morbosa a benevalenti circumposita
secernitur atque abripitur.

LXVII.

Ab antecedentibus parum distat, aut gradu tantum, corrodentium potestas et causticorum; neque aliunde nisi a chemico dominio interpretari juvabit, a caustico actuali, ferro ignito scilicet, aut alio admodum simili, quod ad mechanica subsidia debent referri. Potentialia igitur caustica uti butyrum antimonii, lapis infernalis, potassa caustica, et alia, chemica potentia, a vi affinitatis orta, in ipsum morbum operando, et in substantiam mitiorem, atque innocuam vertendo, prodesse non inficiatur.

LXVIII.

Jure meritoque eadem prorsus quoad nutrientia pharmaca confitebimur.

Namque ipsa, ut physiologia monet, ob specialem chemicæ organico-vitalis processum, restaurationis operam moliri, nemo est qui in dubium revocet.

LXIX.

Antidiathetica vocantur quæ varia diathesium genera immutant, ac resolvunt. Discrimi-

nantur a caeteris remediis, haec enim omnia aberrationem quamdam sive phisicam, sive chemicam, sive dynamicam includunt, illa vero chemicam dumtaxat explicant. Porro ab alterantibus chemicis supra expositis ex hoc etiam recedunt quod neque materiem quamdam absorbent, uti neutralisantia, neque abripiunt aut destruunt uti escarotica, neque restorationi cuidam obveniunt ut nutritiva, sed radicales et permanentes humorum discrasias, vel abnormes mixtionis processus chemico jure castigant, pedissequo sanitatis reditu. Merito a Vetustioribus *chimjatrix* nuncupabantur sive remedia, quae chemica facultate exclusive designantur, contra aliorum quamplurium quam supra inuimus ejusdem virtutis existentiam. Quo autem chemicae pacto propriam operationem gerant adhuc latet oeconomiae latebris obvolutum, neque ratio suppetit, neque experientia demonstrat. In hunc censum veniunt antiscorbutica, antilithiaca, antirachitica, antivenerea, atque alia hujusmodi.

LXX.

Adnotare interim juvabit, chemica subsidia neque alias actiones respicere, mechanicam videlicet, aut dynamicam, neque alia nuper memorata chemica facultate ex toto deorbari. Praeter ustionem (ex: gr.) causticorum mos est,

dolorem excitare, pulsus impellere, phogosis excitare, quae dynamicae commotionis sunt indicia. Sed hisce, quae reactioni referuntur, elapsis, prior et topica superest affectio, omnium valentior chemicae immutationi tribuenda.

LXXI.

Dynamicorum modo sit ratio. Habentur *Dynamica quae vires vitales vel gradu, vel ratione permutant*. Contra enunciatam autem definitionem animadversiones sequentes fiunt: primo, quod omnibus indiscriminatim pharmacologiae argumentis quaedam inest in vitalismum facultas, hinc dynamicum quodvis esset remedium, nemine excepto: secundo quod dynamica ita dicta subsidia organicam quoque virtutem retinent, qua destrui videretur virtutis dynamicae idea.

Utraque refutatur oppositio ab actionis praevaletia, hinc duplicitate actionis remedium admissa, ea dynamica dici promeruerunt quae dinamico praedominio gaudent, quin minor in organismum virtus ab ipsis excludi debeant.

LXXII.

Abs re non erit etiam alienum definire utrum, ceu quidam malunt, primitiva pharmacorum vis, nullo excepto, in dynamismum ex-

plicetur: an vero sint, quae sine praevia vitalis vis passione, materiem corporis aggrediantur. Sub metaphysico respectu, prior sententia probabilior videretur, concipi enim nequit, mixtum organico-vitale, ulla alia de ratione affici posse, quam per elementum dynamicum quò vivit, atque operatur. Sensationes igitur corporis, pathemata, permutationes et reactiones sub impressionibus evolvi existimantur, ex facultate vitali qua animantia imbuuntur. Sepositis vero hisce mentis abstractionibus, et re sub respectu practico considerata, quod in medicina maximore attendendum, dynamica haud omnia renunciabimus, atque organica alia quaedam, juxta comunem Medicorum consensionem, dicere non dubitabimus. Hinc merito ait Jacobus Gregory. » Neque profecto hanc primam et obscuram, et vix detegendam remediorum actionem, si quae fuerit, medici interest novisse (scilicet quae adeo levis, et fugax est ut neque prodesse multum, neque nocere possit), sed effectum ultimum et validum et manifestum, et durabilem scire, in quovis, et usus eorum plane consistunt, et rationem intelligere hunc utilem effectum seu salutarem in corpore mutationem inducendi (*Conspect. Medic. Theor: T. II. p: 88.*) Rem autem hanc Homeopathici temere interpretantur et ad insanissimum errorem reducunt.

LXXIII.

Triplici interim ratione facultates vitales sub remediis immutantur, *excessu* nempe *defectu*, et *subvertione*; hinc tria exurgunt dynamicatorum medicaminum genera, videlicet *stimulantia*, *deprimentia*, et *irritantia*. Omitti autem nequeunt quae duplicem habent facultatem, sive sint extimulantia et irritantia, vel irritantia et deprimentia, quae porro *dynamica mixta* nuncupantur.

LXXIV.

Remedia stimulantia vocantur illa (ait Gregory) quae vel sensum in partibus sentientibus, vel motum in partibus musculosis excitant. (*Opera citat*: §. 75.) Cui definitioni consonat altera illustris Carminati (*Hyg. Therap. et Mat. Med. Vol. II. P. II. pag: 317.*) *Stimulantia* ea proprie intelligo quae ad sensum vel motum, vel utrumque in humani corporis partibus excitandum, accomodata censentur. Nonne autem motus et sensus sunt diversae unius incitabilitatis expressiones? Nonne citra motum et sensum, facultates etiam aliae sub incitantibus acui possent, intellectualibus non exclusis? Hinc sa-

niori ut nobis videtur consilio, stimulantia illustris Gozzius determinaverat. ⁽¹⁾

Quod idem redit asserere stimulantia esse quae nervorum, et functionum omnium alacritatem intendunt: quae quidem collimat cum definitione ab illustri Cullenio allata, qui excitantia esse ait quae motum principii vitalis adaugent, vel sensationem fibrarum impellendo, vel actionem earum. (*Mat. Medic. Tom: IV. pag: 126. Patav. 1800.*)

LXXV.

Ambigitur adhuc inter pharmacologos utrum stimulantia ingesta ad cerebrum per nervos inducantur omnia, atque hinc ad universum corporis ferantur. Hanc sententiam sectatus est illustris Cullenius praestantissimo Gregory, et Carminati adversantibus, quorum postremus sentit stimulantium actionem ad partes interdum traduci sine ullo manifesto cerebri interventu, effectusque neque semper ab affecto proxime cerebro, neque a nervis ventriculi primitus per-

(¹) Oltre gli agenti fisico chimici ve ne sono altri, i quali operando sopra la fibra in quanto è viva non vi producono in principal modo nè alterazioni fisiche visibili nè alterazioni chimiche egualmente soggette ai sensi, ma producono invece generalmente parlando fenomeni di accresciuta energia rispetto alle azioni generali, o parziali della innervazione.

culsis solummodo esse derivandos: (*Oper: Cit: p: 319.*) Alteram hanc nos sequimur opinionem, quia stomacales nervi cum aliis etiam corporis propaginibus consensum servant, et quia extimulantia non solum per nervorum semitam diffundi possunt, sed per vasa etiam absorberi, atque alibi remotissime quoque transvehi. Dum ipsa intus admota, aut per anum injecta, quin stomachum affecerint, aut per diffusionem nervosam cerebrum attigerint, effectus suos in diversis oeconomiae partibus praestare solent.

LXXVI.

Stimulantium diffusio gradu variat, hinc alia *magis*, alia *minus* diffusilia dici possunt, atque eorum effectus plus minusque durabiles. Generatim loquendo omnibus actionis celeritas spectat, quod dosis repetitionem, ut prosint, jubet. Volatilibus constant elementis rapidissimae absorptioni obnoxiiis, et per spiracula corporis citius omnium evanidis. Patet ab ebrietate alcoholicis facta, quae sub valentiori cutis perspiratione ocius abrumpitur.

LXXVII.

Praestat modo effectus extimulantium remedium recensere. Praeter auctam sensibili-

tatem partis, quae remedium excipit; universales effectus oboriuntur, qui ad functionum ferme omnium alacritatem referuntur. Sanguinis circulum igitur intendunt, temperiem animale[m] elevant, expeditum respirationis officium faciunt, vividiores reddunt excretionum, et secretionum actus, musculorum motubus favent, et mentis, phantasiae praesertim animique facultatibus. Inter caeteras vero, circulationis, et thermogenesis animalis functiones ab incitantibus maximopere moventur, quod plurimi in determinanda remediorum actione attendendum.

LXXVIII.

Haud anceps interim quamplurium erit stimulantium facultas, ceu de aetheribus dicendum, vel de oleis essentialibus, de spirituosis, et aromatibus. Verumtamen in dubiis nonnulla alia apud Pharmacologos pendent, et nisi a statu functionum mox (§. LXXVII) memoratarum extrigari possent. Fonte enim vitalitatis cum ipsae pendeant, earum gradui stimulantium gradus etiam respondet; hinc circulationis, et temperiei argumentum stimulantium virtutem et vim indigitant.

LXXIX.

Idem valeat quoad remedia stimulantia quae sedantem, et compescentem actionem re-

tinent, ideoque prima fronte deprimentia videri possent. Sedatis namque nervorum distensionibus, intensior circuitus nihilominus et elatior thermogenesis sociantur, licet haec deprimi vulgo dijudicentur.

LXXX.

Notatu quoque dignum erit stimulantia ferme omnia ab excessu in contrarium effectum desinere, ita ut alacritatem corporis animique hilaritatem, languor, atque hebetudo excipiant. Quod saepius ab incongrua remedii quantitate fit, qua vires vitales obstupescatione quadam plectuntur, aliquando a nimia aegrotantis sensibilitate, ac nervosa receptivitate dependet. Quomodocumque dynamismus vera oppressione, non hypostenia detinetur, uti cuidam immerito videri poterit. Et re quidem vera non ab excitantibus, sed a deprimentibus conditio haec corrigitur; narcotismum hinc vini, aut alcoholis, glaciei usu, vel potionum acidularum, vel aquae cohobatae lauri cerasi, Medici emendant.

LXXXI.

Quoad incitantia tandem admitti debet legem habitudinis rationem suam postulare. Proindeque assuetis segnius, et fortasse suavius,

inassuetis ocius atque ingrate respondent. *Maxima* haec animadversio habeatur tum excitantibus rite interpretandis, tum in cura morborum administrandis.

LXXXII.

Deprimentia hic loci ventilabimus. Dicuntur etiam *infirmantia* quia corpus debilitant, vel *atonica* quia musculorum aliarumque partium tonum adimere perspicimus. Contrariam igitur stimulantium naturam quum induant, definiuntur « *remedia quae vires vitales dejiciunt.*

LXXXIII.

Diu vehementius quam par sit agitata est quaestio circa agentia deprimentia, utrum dentur scilicet directa, vel indirecta perpetuo ipsa sint, vel demum dividi possint in *directa*, et *indirecta*. Ad mentem Brunonis ⁽¹⁾ omnes naturae res in corpus animale activo modo explicantur, ad motum nempe et ad ractionem illud cogendo, hinc omnia nullo excepto, habuit excitantia tum sub ordine physiologico, tum pathologico, aut therapeutico. Quod si eorum aliquod vim vitalem demittat, hoc pendet non a directa infirmandi potestate, sed ab in-

(1) Brown Joannes Scotus.

sufficienti incitandi natura, quae minus quam necesse fuerit, et corpus animale poposcerit, dynamismum attollit. Indirecta haec igitur deprimentia ab incitantibus, juxta Scotum Auctorem nihilo discriminarentur, nisi activitatis gradu. Huic sententiae adversantur Italicae scholae sectatores, praeprimis illustris Rasori, et Tomasini, profitentes deprimentia occurrere indirecta, uti Brunon affirmaverat, et etiam directa ac proprie dicta, quae scilicet nullam habent licet minimam incitandi potestatem, sed absolute et directe vim nervosam infringendi. Modo liceat meam opinionem, quaeque sit, aperire. Res profecto speculative pensitata probabiliorem Brunonis opinionem reddit, sed sub practico respectu djudicata, quod nobis plurimi intersit, Neothericorum sententiam non excludit. Quapropter deprimentia directa non refutabimus, ea nempe quae non inefficaci stimulandi activitate corpus infringunt, sed quae proprio veluti marte facultates vitales sternunt. Praestat omnibus hujus generis acidum borussicum, cujus virtute (tanta esse solet), bruta ad interitum rapiuntur, veluti fulmine attacta, sive minima etiam dosi adhibeatur, sive extus admoveri velit. Neque alios interim necroscopia praemostrat effectus quam manifestos depressionis effectus, vel siquid incitationis aliquando obvenerit, id tantae fuit levitatis, ut omitti debuit. Consentaneum habemus judicium illustris Sprengelii « Pleraque alia

quae infirmare, aut deprimere vires videntur, ita potius agunt, ut incitatio quam producunt fugax sit, et brevi transeat, unde remissio intentionis antecedentis sequitur » (Instit. medic: T. VIII. p: 44.

LXXXIV.

Dici insuper debent indirecta deprimentia quae stimula naturalia avertunt, vel absumunt, quae vitam et sanitatem regunt. Ad hoc igitur infirmantium genus referenda est diaeta praeter solitum tenuis et parca, vel si casus urgeat inedia absoluta. Frigus sive caloris subtractio, si satis intensum fuerit, et diu adhibitum pro infirmante etiam habeatur. Ad hoc valent etiam tristiores animi affectus. Omnium vero longe efficacissima, et comuni usui magis accomodata sunt varia exinanitionis genera, praesertim copiosa, et saepius repetita, uti sunt phlebotomia, valida alvi subductio, aut frequens vomitio, aut copiosi sudores, et ingentes salivae, atque urinae excretiones. Hinc quae jacturas hujus generis determinant inter deprimentia, indirecto modo operantia, collocentur.

LXXXV.

Potissimi deprimentium effectus sunt qui virium vitalium inopiam significant. Innotescunt

quod circuli sanguinei, thermogenesis animalis, spiritus animique facultates, proindeque caeteras corporis functiones deiciunt. Hinc pulsus, et cordis motus elanguent, cutis frigidior, et laxior facta pallescit, musculorum vis vacillat, digestionis officinae retardantur, tandem languor intellectus aliquando et spiritus accedit, exordientis desipientiae, et hebetudinis interventu. Hisce dynamiae mutationibus alia, licet aegrius, corporis et materiei incomoda subsequuntur. Haec deprimentium adjuncta in chemicis corporis actibus praesertim versantur, et universalem potissimum nutritionem implicant, unde sub immodico deprimentium usu, nonnullae chronicarum aegritudinum varietates pullulant.

LXXXVI.

Hisce non obstantibus stimulantium, et deprimentium notis, quaedam tamen sunt pharmacæ, quorum vera facultas adhuc in dubiis mittitur. Hoc quidem fit duplici de ratione, prima quod effectus pharmacorum primitivi ab insequentibus, et secundariis rite, et sedulo quam par esset, haud distiguuntur; hinc fieri posset quod priores excitationis sint, ad depressionem alii pertineant et viceversa. Et ratio in promptu erit, effectus enim qui primitus evolvuntur, ab immediata remedii actione exoriuntur, caeteros autem reactivitas aegrotantis parit. Se-

cunda ratione dubitandi locus datur a multiplici subsidiorum actione, quae ob diversam elementorum naturam ex parte incitandi, ex parte deprimendi virtute pollent. In narcotico-acribus hoc obvenit, quae praeter hypostheniam, irritationem et aliquando etiam phlogosim determinant.

LXXXVII.

Eadem brevitate de remediis *irritantibus* me expediam. Sunt inter dinamica quae *potentias vitales non gradu, ut stimulantia et deprimentia, sed modo immutant. Perturbantia* etiam vocantur, vel *submoventia* ab eorum qua imbuuntur, subvertendi potestate. Abludunt igitur irritantia ab incitantibus et deprimentibus, quod haec *ratione quantitatis* dynamismum attingunt, illa vires vitales *ex modo* afficiunt. Ab iisdem recedunt quoque quod ruditer et plus minusve vehementius oeconomiam animalem percellunt, contra ac in stimulantibus, vel infirmantibus fit, quae vel suavius, vel saltem commiter sese explicant.

LXXXVIII.

Quampluribus therapiae argumentis irritandi vis inest. Maxima eorum pars ad fossilia pertinet, hinc antimonialia ferme omnia ad haec

reducuntur, uti tartarus stibiatus, kermes minerale, butyrum antimonii: addantur composita ex hydrargyro, uti sublimatum corrosivum, et calomelanum. Commemorari etiam merentur quae caustica sunt, uti potassa, soda, calx, nitrus argenti, vel composita ex cupro. Pauciora desumuntur ex regno vegetali, uti synapis alba, vel nigra, ipecachuana, scilla maritima, allium, coepa, urtica urens, toxicodendron, et nonnulla alia hujus generis, quae principiis acrioribus et mordacibus scatent. Tandem non desunt quaedam ex animali regno deprompta quae huic cathegoriae spectant, potissime cantharides, aliaeque insecta, perturbandi, et vesicandi virtute praedita.

LXXXIX.

Defixa irritantium actione, praestat subsequentia eorum phaenomena indagare. Referuntur prorsus omnia ad tria genera, nempe ad functionis alicujus subversionem, vel immutatam secretionis cujusvis quantitatem, et qualitatem, vel tandem ad quamdam vitalitatis discrepantiam. Primi generis sit exemplum emesis, quae ab irritantibus vomitoriis promovetur; alterius ordinis erit copiosae bilis, et porraceae expulsio, quae sub cholera ex cupreis molitur: postremae speciei casus elucet ex frigoris sensu ad extrema, et caloris ad centrum corporis,

subsultibus, tremoribus nervorum aut tendinum, quae inordinati dynamismi sunt indicia, quaeque sub acrioribus remediis, extra dosim praesertim adhibitis, pullulant.

XC.

Effectus irritantium remediorum variant non entitate tantum, sed et qualitate juxta dosim, et durationem, proindeque a simplici dynamismi inordinatione, absque ulla materiae organicae laesione, gradatim sub quantitatis, et durationis augmento, ad majores corporis ipsius immutationes perveniunt. Reactione enim corporis excitata, sanguis majori vi impellitur, congestiones fiunt, distensiones, phlogosis exoritur, et varia ipsius phaenomena, stimulantium ipsorum pedissequa.

XCI.

Remedia, de quibus nuper sub vario applicationis titulo cum Neothericis sejungimus in *substituentia, transpositiva, expulsiva*, atque *excitantia*. Dicuntur substituentia quum propria irritatione, morbosam prorsus conditionem suscitant, quae praeexistenti substituitur, ipsiusque vel levamine vel extinctione. Sunt localia vel universalia. Topicorum exempla, quae frequentius substitutiva evadunt, essent collyria nitratis

argenti vel sublimati corrosivi, vel praecipitatis mercurii rubri, in phlegmasia palpebrali. Cum causticis non confundenda quod illa destruant, haec irritationis actu prestringuntur. Caeterum quibus morbis prosint, fusius in therapia generali innotescet.

XCH.

Transpositiva dicuntur vel revulsiva irritantia, quae longe a morbo admota ex maiori eorum vi, minorem antecedentis infirmitatis infringunt. *Duobus* (enim ait Hippocrates) *laboribus simul abortis non in eodem loco, vehementior obscurat alterum*. Synapismata, vesicatoria, ustiones, moxae et caetera quae exterius, et ad extrema corporis applicantur, ad hoc remediorum genus referuntur. Adhuc disputatur utrum una eademque omnibus revellendi inhaereat facultas, atque ea a comuni irritandi actione pendeat, an vero juxta diversa eorum elementa, unicuique varia, transvehendi potestas spectet?

XCH.

Expoliativa vel expulsiva sunt, quae ita organa et textus varios perturbant, ut ad secretiones et excretiones impellendo, umorum, et materialium eliminationes determinant. Huc igitur

tur referri debent quae ptyalismum, emesim, catharsim, urinam, mucum, excitare potis sunt. Haec ut emetica, purgantia, diuretica, et caetera ex perturbationis ratione qua sociatur, potius ad irritantia, quam ad vera extimulantia, uti alii opinantur, referre mallet.

XCIV.

Irritantia appellantur excitantia a Neothericis quae vividiores sed fugacem dynamismi reactionem suscitant, more prorsus extimulantium, cum quibus quasi confunduntur. Actio synapsis hunc servat modum.

XCV

Non tamen sat erat simplices remediorum facultates perlustrasse, necessarium etiam duximus de complicata eorum actione quid summis labiis attingere. Virtus remediorum composita exurgit vel quia plura diversae actionis subsidia adhibeantur, vel quia unico utitur pharmaco, plurium facultatum capaci. Occurrunt profecto quae multiplicem virtutem retinent, mechanicam nempe et vitalem vel dynamicam, et chemicam, et ita porro de aliis similibus con-sociationum casibus. Exempla in promptu erunt: digitalis purpurea deprimit cordis motus simul et stomachum irritatione lacessit. Tartarus eme-

ticus pervellit, et nervosum sistema demittit, nonnulla ex solanaccarum familia nervos compe-
scunt, et sedant, sed cerebrum aequè convellunt, et perturbant.

XCVI.

Ex pluribus simul concurrentibus remediorum actionibus haec tria fieri possunt.

1.º Aut ob contradictionem ferme eliduntur:

2.º Aut alterius praedominio simplices videntur.

3.º Aut quaevis vero suam actionem explet, quarum summa ad novam, et complexam facultatem reducitur. Postremam sedulo perpendens illustris Gozzius actionem pharmacorum *mixtam* dicere autumavit. (¹)

(¹) Chiamo io azione mista quella che nasce, quando più altre azioni esistendo nell'organismo vivo, ognuna di esse modifica l'altra, e costituisce poi un tutto, dove non è più possibile distinguere quello, che appartiene ad una, o ad altra, perchè una risultante ha preso il luogo di tutte, e si è estesa all'organismo intiero, e v'è per esso a grado a grado in questo, o in quel luogo vicendevolmente manifestando i suoi effetti: in una parola le azioni primitive si sono in qualche modo eclissate, e se ne è formata un'altra, che è conseguente ad esse, ma non confondibile con alcuna di loro.

XCVII.

Praefatus idem Gozzius actionis mixtae rationem hinc rimans, illam ad irritantium categoriam referre non dubitavit, « Null' altro si può dire di sicuro, se non che nasce disordine, orgasmo, metasineresi, oscillazione, successione rapida, ed anomala di fenomeni analoghi per quanto sembra agli irritanti. » Receptivitas enim vitalis sub diversis, ac multiplicibus remediorum impulsionebus inter diversos, et plures motus excitatur, ac tumultuarie et abnormiter ducitur, non sine aliquando aegrotantis bono, et perfecta oeconomiae subversione.

XCVIII.

Liquido ex praefatis fluunt potissimae praeceos animadversiones. Quod nempe abstineri sedulo debeat a curationibus multifariis, vel a remediis mixtae actionis. Quod si ex necessitate pluribus pharmacis uti fas sit, aut composita admoveri debeant, seorsim, et vicissim in usum veniant, debita scilicet temporis intercapedine. Reactiones enim vitales temporis lapsu indigent, ut perfici possint, atque ex integro absolvantur. Pacato hinc dynamismo, remedia iterentur. Neque aufugiat contraria, aut maxime absimilia, in eadem curatione, aut simul juncta, ab usu totis viribus esse amovenda, uti

laxantium esset cum tonicis commixtio; astringentium cum relaxantibus, subtrahentium cum nutrientibus adsociatio foret.

CAPUT III.

DE NEXU INTER ACTIONEM MEDICINALEM,
ET SANITATIS REDITUM.



XCIX.

Superius spectavimus remediorum agendi actiones, nec non effectus qui in corpore sub eorum administratione evolvuntur, quin ulla perpensa fuerit in morbos facultas, aut in aegrotantium sanationem. Hoc pacto accepta subsidiorum actio, dicitur a pharmacologis *physiologica*, quia hominibus etiam sanis tota, eademque explicatur. Quum vero ad exitum transferatur curationis, et sanationis negotium *medicinalis* vel *therapeutica* etiam vocari consuevit. Hic loci de postrema intelligimus. Tartari emetici exemplum vos edocebit discrimen inter actionem remedii physiologicam, et virtutem ejusdem curativam. Hoc pharmacum tum sub sanitate, tum sub aegritudine ingestum emesim, vel catharsim movet, et totius corporis exagitationem, atque haec comunis operatio

est quae dicitur physiologica, sed quum ab hac primitiva ipsius commotione, et sub sequentibus corporis reactionibus, morbus quidam restituitur, atque absolvitur, posterior, et secundarius successus habebitur, qui actio medicinalis nuncupabitur.

C.

Quoad actionem subsidiorum curativam praecipuis adnotare juvabit, ipsam praecedi ab actione physiologica, quae inaffinis, et aliquando etiam pathogenica evadit. Diximus non aequae semper morbificae esse, contra Neothericos quosdam, qui remedia habent elementa eo oeconomiae hostilia, ut perpetuo veros, et exquisitos morbos pariant. Medicinales hinc morbos nos in genere admittimus, sed quibuscumque remediorum, aegrotantium, et dosis circumstantiis perenniter subsequentes omnino refutamus. Non desunt enim pharmaca, quae gratos corporis atque animi sensus excitant, absque ullo aegritudinis signo, aut leviori oeconomiae incommodo quod morbi ideae perfecte reluctatur.

CI.

Pari quoque jure monendum erit inter actionem curativam, et physiologicam, plurium reactionum seriem inesse organico-vitalis ordinis

plus minusque durabiliorem. Qui phœnomenorum progressus a primitiva remedii impressione exortus, aegrotantis hinc reactivitati et individuorum circumstantiis referendus videtur. Medicinalis proinde remediorum facultas, (sive ut idem redit sanitatis effectus) *indirecte* et mediate tantum ab actione physiologica dependet.

CH.

Indirecta dependentia hæc, quæ vim medicinalem physiologicae alligat, denegari nequit sicuti quidam ausi sunt, profitentes sub quavis perturbanti causa, sit medicinalis nec non corporis subversionem fieri, et sanitatem contingere posse: hanc tamen sententiam excludunt sequentia:

1.º Quamplura, sine quibus sanitas assequi nequit, uti febres intermittentes, quæ ex china tantum depelluntur:

2.º Inertia aut minus efficientia quorum usus aut frustraneus aut minimus, et contra heroica, quæ satius medicinae satisfaciunt.

3.º Irrita ut plurimum medicamina, si eorum status vel chemicus, vel physicus immutetur. Procul dubio igitur nexu quodam, saltem mediato dictæ actiones sociantur.

CIII.

Quaeritur practerea hujus nexus gradus, utrum nempe proportione qua^{dam} physiologicae medicinalis facultas respondeat. Hoc fixum ratumque habetur penes omnes tum philosophos tum medicos entitati, et quantitati causarum effectus proportionalem rationem servare; hinc ab heroicis remediis mira saepius nasci, et a majoribus subsidiorum dosibus valentiores exitus dependere. Homeopathici qui in contrariam abeunt opinionem enormiter decipiuntur, quod fusius alibi ventilabimus. Neque objici velit sub ingentibus remediorum dosibus vel minores, vel contrarios effectus gigni, uti de excitantibus quae immodice usitata in depressionem potius et debilitatem ducunt; haec enim similiaque ab excessu quantitatis dependent, exhaustis naturae viribus. Concludimus remedia effectus excitare nullis obstantibus, quantitati atque entitati pares.

CIV.

Praeter ea, quae dictum nexum sub quantitate sive gradu respiciunt, veniunt quae ad ipsius *qualitatem*, sive rationem referuntur. Talis est igitur actio pharmacorum physiologica, ut vel contraria symptomatum syndromi, vel similis, vel aliena aut heterogenea occurrat. Quod idem redit asserere phaenomena reme-

diorum in homine sano deprompta, vel adversam indolem praeferre cum iis, quae morbis pertinent, vel affinem vel toto coelo diversam. Praeter hanc nulla posset alia esse inter remedia et aegritudines relatio. Prior nexus *allopathicus* dici maluit, *homeopathicus* alter, postremus *heteropathicus* ab auctoribus significatur. Therapeutica autem facultas unica semper erit, nempe morbi perpetuo contraria. Quum vero non ex symptomatibus tantum curationes desumantur, sed et a causis, et ab intrinseca aegritudinis conditione, hinc non unum, aut aliud erit relationis genus sequendum. Medica igitur philosophia homeopathicam methodum exclusive acceptam acriter damnat, et vituperat. Ars hippocratica hinc quae rationalis, atque empyrica est, neque unam, neque aliam prae-diligens, omnibus aequae in bonum pro re nata uti pollicetur: parum aut nihilo vel similitudini tantum vel aversioni, vel heterogeneitati indulgens. Sic vomitum aliquando per emeticum pertractat, diarrhoeam per subducentia, vi scilicet sollicita, quae vel experientia vel ratione contrariam retinent actionem, vel causis ut saepius vel symptomatibus, et aliquando vel intrinsecae aegritudinum conditioni.

CAPUT IV.

DE CRITERIIS QUAE REMEDIORUM
NATURAM DETERMINANT.

CV,

Argumenta proponimus quibus incerta artis subsidia rectificantur, aut recentiora in compertum demittuntur; sunt sex numero:

- 1.^o Historicum.
- 2.^o Physicum.
- 3.^o Chemicum.
- 4.^o Zoologicum.
- 5.^o Physiologicum.
- 6.^o Clinicum.

CVI.

Naturalis verum historia quamdam jam facultatum praesumptionem suppeditat; hinc non inutile erit desigere substantiarum regnum, et classem, ac speciem earum determinare. Satius enim (§. IX) innuimus pro regni diversitate actiones remediorum non paullo discriminari. Totidem dicenda quoad ordinem et familiam naturalem cui spectant, quae non analogiam tantum, et characterum extrinsecorum, sed effectuum etiam affinitatem mirum in modum ser-

vant: quapropter calcarea (ut de mineralibus dicam) absorbenti facultate saepius pollent, salia neutra purgantia evadunt, mercurialia fundunt, martialia roborant atque instaurant, antimonialia diaphoresim movent, saturnina adstrictioni favent. Quoad animalia, si pingua ut plurimum nutriunt, si mucillaginea coagulant, et demulcent, si odorata aut foetentia extimulandi vel comescendi virtute gaudent.

CVII.

Circa vegetabilia criterium historicum maximopere attendi debet. Quod plantae quae genere conveniunt etiam virtute convenient, jam illustris Hermannus, Camerarius, Hoffmannus, aliique evulgarunt, et fusius deinde praeclarissimus Linnaeus in philosophia Bothanica illustravit. Postremo proximiores ut clarissimus Jusseu, et De-Candolle senior ⁽¹⁾ argumentum hoc uberrime pertractarunt. Horum sententia interea suffragatur *chemia*, quae probat styripibus eadem elementa, easdemque virtutes insidere; *inductione* qua constat paraxita, atque animantia easdem plantarum species praediligere; tandem experientia, qua edocemur iisdem generibus eadem elementa medicinalia saepius

(1) Essai sur le proprietes medicales des plantes comp. avec leurs form. extérieurs. Paris 1804.

occurrere. Constat namque chininam in Cincónae generibus reperiri. Rheum apud omnes Rabarbari species, semen sanctum in pluribus absynthi generibus, atque opium in papavera-ceis nonnullis.

CYIII.

Modo autem lex haec affinitatis naturalis firmitus valet, modo elanguescit. Verificatur apud *Graminaceas* quae nutrienti pollent virtute: apud *Solaneas*, quibus narcotica facultas pertinet, apud *Gentianeas*, quorum tonica est potestas, apud *Umbelliferas* terrestres, quae ex aromate quo scatent, carminativae fiunt, aut apud aquaticas quae resolventia existimantur; apud *Liliaceas* quae ex principio acerrimo urinas movent, apud *Laurineas*, quae extimulant omnes; apud *Euphorbiaceas* quae chatarsim determinant, apud *Papaveraceas* quibus narcosis competit, *Malvaceas* quae emolliunt, et *Cruciferas* quae mordicant, et scorbutu adversantur.

CIX.

Licet vero quae classi naturali congruunt etiam viribus quodammodo congruant, quaedam tamen huic canonis repugnant, diligentissime vobis inquirenda.

1.° Sub eadem familia, aut genere eodem, nonnulla valdopere inter sese discrepantur. Sub Liliaceis habentur *Scilla maritima*, quae ad diurtia spectat, et *aloes* quae ad purgantia refertur.

2.° Eadem virtus medicinalis diversis styripibus spectat. Facultas purgativa inest scammonio, quod convolvulaceis pertinet, et euphorbio quod Euphorbiaceis includitur.

3.° Eidem plantae virtutes diversae inhaerent. Fructus mali punicae refrigerantia intrans, et radix anthelminthicam actionem explicat.

4.° Eadem styrips pro auctorum diversitate aut systematum, uni aut alteri familiae, et speciei referri possset. Quibus rite pensitatis concludendum criterium hocce ex bothanica depromptum, utut eximium, pro indicio tantum haberi.

CX.

Ex physicis verum proprietatibus criterium physicum erogatur. Jam alibi (§. LVII) physicam remedium actionem praefiximus, et physicorum effectus; hic loci inquirendum quanti sint phisicae proprietates in facultate subsidiorum determinanda. Quid vix lucrari posset a specifico eorum pondere, vel a diversa crystallorum forma, aut a cohesionis gradu, adversus

illos qui plurimum perperam sibi promittunt; e contra magni potius facienda vel *saporis* vel *odoris*, vel *coloris* facultas de quibus nonnulla summis labiis referam.

CXI.

Pro comperto habetur insipida vim medicinalem aut vix habere, aut facultate quapiam omnino vacare. Ex adverso quae maxime sapiunt ingenti pollent operatione aut satis magna. In quampluribus tandem vis castrari solet, quoties sapore ipsa dehorbentur. Posito igitur illationis jure, praestantiores saporis species, et respectivas eorum facultates exponere praestat. Ad decem juxta illustrem Lynneum referuntur. ⁽¹⁾

1.° *Dulcia* quae nutriendi, et subducendi vi gaudent.

2.° *Acria* quae incisivam, et corrodentem actionem habent.

3.° *Pinguia* quae emolliendi, et obtundendi facultate distinguuntur.

4.° *Stiptica* quae adstringunt, et inspissant.

5.° *Acida* quae refrigerant.

6.° *Amara* quae tonicam, et balsamicam virtutem praestant.

7.° *Viscosa* quae lubricant.

(¹) Philosoph: Bothan: Vindoborae 1770. p: 283.

- 8.^o *Salsa* quae abstergunt.
- 9.^o *Aquosa* quae humectant atque attenuant.
- 10.^o *Sicca*, quae absorbent.

CXII.

Septem quoque praecipua forent odorum genera quae, duce Lynneo ad sequentia referuntur:

1.^o *Ambrosiaca* uti *Ambra*, *Moschus* etc: quae analeptica actione stipantur.

2.^o *Fragrantia* uti flores *Croci*, *Jasmini*, *Lilii*, *Violae* etc: quae *orgastica* ab auctore dicuntur, aut si magis placet, commoventia.

3.^o *Aromatica* quae odore et gustu convenientia, uti *Cinnamomum*, *Laurus* *Sassafras*, *Camphora* etc: extimulandi virtute sese commendant.

4.^o *Graveolentia alliacea* quae vermifuga evadunt.

5.^o *Graveolentia hircina* alterandi facultatem retinent, uti *Hellebori* species.

6.^o *Tetra* sive ingrato odore nota, stupefacentem vim habent.

7.^o *Nauseosa* uti *Rhabarbarum*, atque *Ipecachuana*, irritanti et drastica actione discriminantur.

CXIII.

Quatuor tandem species colorum ab eodem Auctore propositae, recenseri merentur huic scopo inservientes.

1.^o *Albida* atque insipida, vel virtute medicinali carent, vel ad emollientem accedunt.

2.^o *Lutea* atque amara ad anthelmintica vel cathartica pertinent.

3.^o *Rubra*, atque acida, astringentia existimantur.

4.^o *Rubro-brumea* tannino scatentia, ad vulneraria referuntur.

CXIV.

Limitandae interim hujus criterii laudes nobis videntur sequentibus animadversionibus:

1.^o Ex sensuum exteriorum fallacia, praesertim quoad saporem, atque odorem, qui pro individuorum diversitate vel grata fiunt, vel permolesta. Sunt qui amaris delectantur, et qui ab ipsis abhorrent.

2.^o Ex difficultate vel odorum, vel saporum qualitates, et gradus ad lineam definire.

3.^o Ex multiplicitate odorum, et saporum eodem vegetali inhaerentium, potissimum si inter sese adversantur, ut amaro-dulcia, vel foetido-fragrantia etc. *Dulcamara* apprimè amara, hinc dulcis fit.

4.^o Ex differentia actionis eorum, quae eodem sapore, et odore imbuuntur. China-China atque aloes etsi aequae amara, prior tamen tonica est, altera drastica. Aphrodisiacum habetur Cinnamomum, camphora autem dietae actioni vel non favet, vel adversatur, quamvis utraque aromatica sint.

5.^o Ab eximia medendi facultate eorum quae sapore et odore aut vix praestant, aut omnino vacant. Valet potissimum de praesidiis mineralibus. Quam propter rem neque absolutum criterium hoc haberi debeat nec prorsus contemnendum, uti inconsulto Galenus sentiit, qui (Libr: II. De simplic: medic: Cap: III.) *nec a colore (ait) nec ab odore etc. ratiocinari de medicamentorum facultate oportet*. Erogari enim ab hoc fonte non levior posset virium medicinarum praesumptio.

CXV.

Chemiae extispiciis criterium aliud innititur. Medentes omnis ferme aevi pharmacorum encyresi sedulo adlaboraverunt spe permoti ab elementorum notione facultates patefieri. Perperam igitur ab illustri Cullenio excluditur. (Mat. Mod. Pract. p. XVII.) Idem (Hist. Mat. Med. p. 26). Donec chemia exordiens anceps, et manca fuerit, vix quid lucis, et emolumenti Pharmacologiae afferre videretur: seculo hinc

XVIII. labente quum dicta disciplina ad maiora incrementi auspicia perveniret in pharmacis interpretandis omni studio excolebatur. Tandem praesenti hac aetate ad sui decoris fastigium devecta, haud immerito confidimus feliciores exitus allaturam. Pro nunc neque extolli dictam thesim uti quidam inconsulto consuecunt, neque blaterari videtur sed sobrius existimandam, medicaminumque illustrationi omni alacritate vertendam.

CXVI.

In dubiis chemicum argumentum ponunt sequentia:

1.° Extranea, quae sub analysi effinguntur, a substantia exploranda omnino aliena.

2.° Quae ob nimiam volatilitatem, aut decompnendi promptitudinem, sub exploratione aut ex parte, aut omnino diffugiunt vel mutantur.

3.° Virtutes medicinales pluribus elementis insimul copulatis referendae.

4.° Varii Auctorum inquirentium exitus. Sarsaparilla variimode a Chemicis interpretatur, idemque de pluribus aliis repeti debet.

5.° Mitiorum et communium principiorum in heroicis subsidiis praesentia.

Hisce porro atque aliis chemica probatio infirmatur.

CXVII.

Quae subjiciuntur, difficultatem vel levant vel dirimunt. Tentamina pluries iterentur, et reagentia omnis generis in usum ducantur, ut sub ejusdem exitus repetitione de investigationum rectitudine ratiocinetur. Ad volatiliora diligentissime recolligenda, ut plurimum sufficiunt ingenia nuper introducta, et a Neothericis artis decore, atque utilitate inventa. Permutationes ipsae aliquando inter investigationem abortae, aut suspicantur, aut deteguntur, dummodo diversis operationum methodis quis utatur.

CXVIII

Quamvis a singulorum elementorum notatione virtutes quaedam interpretari nequeant, namque omnium summa videantur, atque ideo impossibile prorsus sit a singulis facultatibus ad actionem complexam ascendere, attamen saepius vires medicinales cuidam principio copiosiori, aut vehementiori debent referri, faciliusque praenosci possunt. Proinde ex tannini praedominio, galla turcica ad adstringentia; daphninae sive materiae acerrimae interventu *gnidium* ad vesicantia; ob oleum volatile, salia ammonicalia, atque elementum summae odoratum, moschus ad extimulantia, et fortasse ad compescentia; Guajacum tandem, ob resinae

copiam, ad sudorifera, et diuretica jam sine dubio referri posset. Ita porro de quampluribus aliis.

CXIX.

Non quacvis interea auctorum dissentio analysis veritatem excludit. Omitti quidem possent quantitatis, et proportionis dissensus, sed qualitatis discrepantiae, actioni plurimum inservientes, maximopere attendendae. Rarissime quo ad mineralia interveniunt, quippe quae constanti elementorum proportionem, et minori principiorum copia gaudent. Obvius ex adverso disputationes chemicae fiunt de organicarum rerum constitutione, quae pluribus, et mutabilioribus exurgit. Facultas interea Chinae-Chinae a Chinina explicatur; emetina Ipecacuanae rationem reddit; acidi cyano-hydrici praesentia virtutem Lauri - cerasi regit, atque ita quidem de quampluribus repetendum. Interim expedit inter disceptationes, Auctoribus fidem habere, qui cordate referunt, et ex scientia et peritia se gerunt.

CXX.

Nonnumquam conamina Investigantium, licet infrequentius, inoefleta ceciderunt, atque heroica etiam pharmaca nonnisi comunibus con-

flari demonstrarunt. Negativus autem hic Chemiac exitus nec felices caeterarum inquisitionum successus adimit, nec incrementis in diem artis spem tollit. Criterium igitur analyticum neque spretu damnandum djudicamus, neque perpetuo certum, sed plurimi in medicaminum revelatione faciendum.

CXXI.

Zoologicum criterium experimentis in brutum sana, tum morbo detenta expletur. Ab ipsis artis incunabulis ad nos usitata, experimenta hujusmodi omni aevo invaluerunt, neque, uti inferius videbimus, inconsulto. Plurimum namque iis lucrata est Physiologia quoad functionum studia; plurimumque Toxicologia quoad venenorum doctrinam. Tandem in vires medicaminum illustrandas maximi conferunt, dummodo obstacula eliminari queant, et usus regulis quibusdam regi.

CXXII.

Primum obstaculum exurgit a structurae, succi gastrici, et alimentorum differentiis, quae inter bruta, hominemque intercedunt, et analogiam obscurant. Attenuandae difficultatis gratia sufficiet saepius animantia seligere, quae maxima compaginis affinitate gaudent, domesti-

cis habitudinibus distincta, magis nota, et educatu promptiora. Caeteroquin nec liquida adsimilationi inservientia, nec cruor, neque alimentationis species, talia existimari deberent, quae remediorum naturam funditus destruerent.

CXXIII.

Obstaculum alterum erit vocis, et loquela defectus, ex quo effectus, et sensationes significandi impotentia. Nihilo tamen minus sub sanitate indicibus nonnullis supplent bruta, quorum subsidia, (non secus ac morbi ex symptomatibus) pathemata, atque immutationes ex pharmacis revelantur. Quoad experimenta sub aegritudinibus peracta, exitus morborum sufficiunt.

CXXIV.

Postremum hujus criterii obstaculum ad ea refertur, quae vel brutis adversa homini favent, vel hominibus hostilia, bruta decent. Haec tamen posita exceptionis exempla, satis superque jam nota, universalem uniformitatis legem haud destruunt. Non ignoratur nempe petroselinum psyptacorum generi summe noxium, pulvis gallinaceis juniperi baccas adversari, quibus e contra homines vel gaudent, vel impune utuntur. Non aufugit pariter ex adverso euphorbium Cameli, Aconitum Equis, cicutam Sturnis con-

venire, quae homini venena evadunt. Equus in-
super ingentes opii doses absumit sine ullo oe-
conomiae detrimento. Delysle asseruit maximas
Arsenici quantitates capreolas ingessisse, quin
in morbum ruerent. Sprengel tandem conium
maculatum (ait) oves sine noxa vorant, non
secus ac lyttam vesicatoriam hystrix. (Pharmac.
p. 26 §. XIX). Hisce non obstantibus, atque
aliis quae superaddi possent, reactionis vitalis
consensus inter hominem et bruta ferme uni-
versalis manet, eique in exploratione subsidio-
rum fidimus.

CXXV.

Vis hujus criterii incresecet si regulis se-
quentibus ducatur.

1.º Seligantur bruta hominibus proximio-
ra, perfectionis structurae, notae indolis, docili-
ora, mansuefacta, et domestica, feris exclusis.

2.º Specimina plurics repetantur, et in
animantibus speciei, aetatis et constitutionis di-
versis peragantur.

3.º Medicamina admoveantur cujusvis for-
mulae, et compositionis, ac introductionis modi
varient.

CXXVI.

Quoad diversas introductionis rationes, quid
de insitione in venenosum systema sit sentien-

dum, fatear. Rite pensitatis quae superiori aevo illustris Boyle Hettmuller, et Sprengel per-
tentarunt, quaeque a praestantissimo Magendie, et Orfila elapsa aetate in medium feruntur, in
dubiis experimentum hujus generis mittitur. Ve-
rendum interim ne diversa, atque inusitata in-
sinuationis via, nimis paullo de analogia con-
cludat. Periculis tandem tentamen haud vacat,
quod juxta illustrem Hallerum saepius circula-
tionis negotium lacessit, aliquando etiam funus
properat. Lac enim aut oleum, ut ait Hallerus
in venis insitum gravissima minitarunt; idem
testatur Regnadot de gummi, quam sudores
profusi, diarrhoea vehemens et febris excipiunt.
Hinc praemissis atque aliis ab illustri Carminati
prolatis, nullam huic experimenti generi fidem
habebimus.

CXXVII.

Ad haec quae ex criterio zoologico medi-
cina lucratur, referri possent.

1.º Ut sine hominis acrimonia venena sum-
me noxia periclitentur.

2.º Iterare licet tentamina, et sub qui-
buscumque rerum circumstantiis remedia ad-
moveri, hinc certiori consilio in hominem de-
duci.

3.º Ab exitu in morbis brutorum, consi-
lia hominibus idonea trahere.

Concludimus dictum criterium medicinae usui, et Pharmacodynamiae esse tantopere opportunum.

CXXVIII.

Criterium aliud, uti praemissimus, *physiologicum* dicitur, et ad experimentum in homine sano reducitur. Optima jamdudum veteribus haec videbatur regula: hinc Galenus ait « *Praestat ipsos prius in sese quae proferunt expertos, ita denique ea nobis consulere, ac literis posteritati prodere* » (*De simp. Med. facult. lib. III. p. 18*). Dehinc frequens apud Auctores ferme omnes remedia periclitandi sanis corporibus usus. Caeteris namque jam expositis criteriis hoc praestat atque hodie tantopere attendendum inter Pharmacologos dijudicatur. Attamen a veritate longe abfuit Samuel Hanemann, omnes ab hoc fonte contendens pharmacorum vires exclusive, ac perpetuo depromi; physiologica enim tantum facultas hoc pacto innotescit; therapeutica omnino abdita. Postrema enim haec nonnisi in homine morbis detento elucet, uti satius suo loco ostendam.

CXXIX.

Ratio atque experientia edocet criterium physiologicum aliquando decipere nos posse.

Prior suppetit aconomiam bene valentem ab infirma nonnihil discriminari, tum sub respectu materiae, et fluidorum circulantium, tum reactivitatis naturalis quam sympathyae praeternaturalis, aliarumque circumstantiarum quae aegrotum ab integris varium faciunt. Altera facta ministrat quae theoriam probant. Constat namque alimenta quae sanitati prosunt, morbis adversari, et e contra remedia etiam tutissima, quae morbos sanant valetudinem pessumdare.

CXXX.

Ut notas probabilitatis igitur aquirat hisce debet legibus gubernari.

1.^o Tentamina fiant in hominibus bene valentibus, optimae constitutionis, et perspicui habitus.

2.^o Subjectum speciminis pateat sub oeconomiae respectu, alimentationis, habitudinum et hydiosyncrasiae, quorum titulo effectus remedium admodum variant.

3.^o Sub jejuniis res medicales propinentur, ne ab alimentis immutentur.

4.^o Praecipiantur animi et spiritus tranquillitate ne pathematum effectus cum iis remedium confundantur.

5.^o Pericula pluries repetantur, in pluribus celebrentur, et sub pluribus cujusque generis circumstantiis fiant, experimentis in se ipso non exclusis.

CXXXI.

Non sine consilio hinc inductiones desumantur. Majorem reclamant fidem effectus, qui essentielles, vel primarii audiunt, non neglectis autem secundariis et accessoriis. Priores scilicet physiologicam remediorum naturam indigitant, ac propemodum summopere existimandi; alii qui historiam subsidiorum explent, neque aspernendi prorsus, neque affatim contemplandi, uti inconsulto Homeopathici se gerunt, qui ita accessoriis implicantur, ut essentiam medicaminum saepius obnubilent.

CXXXII.

Omnium tutissimum est criterium *clanicum* aut *pathologicum* quod in aegrotantibus versatur, sive experientia innititur juxta Galeni sententiam. *Certissima omnium erit judicatrix experientia quam qui relinquunt atque aliunde ratiocinantur, non solum falsa pro veris ducunt, sed etiam tractationis utilitatem subvertunt. (De simp. med. Lib. I. §. XXXXIII.)* Ejusdem praestantia descendit;

1.^o Ab immutato corporis statu, a valetudinis conditione plus, minusve abscedenti.

2.^o Hinc provenit ab actione remediorum relativa, juxta nempe individuos, eorundemque conditiones diversa.

3.º Ab independentia actionis therapeuticae ex facultate physiologica.

Quibus omnibus praeclarissima ac absoluta criterii clinici necessitas exurgit, contra Homeopathiae asseclas, qui in criterium physiologicum esclusive jurant, et adversus clinicum admodum clamitant.

CXXXIII.

Ut consulto autem, et debite tentamen clinicum incedat, regulas modo proponendas observabis.

1.º Praefiniri debet morbus sub essentialis respectu, gradus, stadii, complicationis, aliarumve circumstantiarum.

2.º Constant quaeque ad aegrotum pertinent, corporis scilicet natura, aetas, sexus, temperamentum, habitudines, vitae genus, hydiосyncrasiae etc.

3.º Perpendantur quae ab extrinsecus infirmum aut infirmitatem immutant, cu climata, constitutiones annuae, tempestates, dominium epidemicum etc.

4.º Conditiones pateant substantiae explorandae pertinentes, ipsiusmet namque naturalis historia, physicae proprietates, chemica constitutio, pharmaceutica preparatio, et dosis.

5.º Remedium periculis subjectum ministrari praestat sub aequa dosi, debita formula, et melioris notae.


6.º Aegrotans tandem parari debet optima alimentorum qualitate, et remediis ministrandis consona.

CXXXIV

Quo feliciter, fausteque res cesserit, experimentator hisce debet dotibus imbui. Arceat praecipuis ab hypothesis quavis aut systemate praekoncepto, quorum praejudicio successuum veritates obnubilantur, et facta anticipatis mentis opinionibus accomodantur. Ab extremis caveat vel nimiae credulitatis, vel minimae fidei; quoad primum successus ferme omnes pharmacis tribuuntur, quoad alterum boni eventus sub naturae imperio semper inoliri contenditur. Medio interim tutissime ibitis, viribus vitae scilicet sua quaeque, ac medicaminibus sua referentes, nec sepositis, nec contemptis aliorum sententiis.

CAPUT III.

DE PHARMACOTAXIA



CXXXV.

Remediorum in classes distributio *pharmacotaxia* dicitur ⁽¹⁾. Huic capiti spectat videre:

(1) *φάρμακον* remedium, et *τάξις* classis.

1.^o Quae a classificatione subsidiorum beneficia medicinae veniant.

2.^o Quae dictae disciplinae historia sit.

3.^o Quae ab auctoribus proponantur classificationis methodi.

4.^o Quae perfectionem methodi remorentur.

5.^o Quibus tandem fundamentis optima classificatio superstruenda videatur.

CXXXVI.

Prior qua fruimur utilitas est quae faciliorem remediorum pene innumerabilium memoriam ministrat. Hinc scientia quaevis distributionem suam molitur in promptiorem rerum sibi subjectarum notionem. Magni enim interest infinita in paucis classibus contrahere; arduum e contra esset immensam remediorum provinciam sine ductu tamquam peragrari. Praeter quamquod rationalis subsidiorum divisio (a viribus nempe deprompta) pharmacorum ipsorum scientiam suppetit, atque usus indigitat.

CXXXVII.

Vetustioribus hinc mos fuit divisiones pharmacologicas cuique suas evulgandi. Omnium primus fuisse Auctor Scribonius Largus videtur, qui *Claudio imperante*, in opere compo-

sitionum medicarum, pharmaca juxta facultates medicinales singulis morbis accomodatas, dirimi sategit. Sub Imperatore Augusto Cornelius Celsus elegantissimus, ac peritissimus Romae Medicus, medicamina etiam dispescuit, primitus actiones eorum magis generales intuens, aegritudinum classibus respondentes ⁽¹⁾; deinde ad particulares cuique morbo idoneas descendens. Dehinc Galeus sub Antonini Pii imperio divisione remediorum usus est nimium fortasse generali, atque hypothetica, uti in libris de simplicium remediorum facultatibus videre est; atque ita porro pro quavis medicinae aetate, aliae atque aliae subsidiorum divisiones in medium artis devenerunt.

CXXXVIII.

Diversae remediorum divisiones apud auctores a diverso fonte proficiscuntur. Sunt qui rationem historicam, aut naturalem sectantes, classificationem subsidiorum naturalem dictarunt a characteribus historico-naturalibus depromptam. Ad illorum mentem pharmaca aptissime dispesci deberent in *mineralia*, *vegetabilia*, atque *animalia*, hinc mineralia juxta eorum statum, et chemicam constitutionem in *simplicia*, et *composita*, in *oxyda*, *acida*, et

(1) Corn: Cels: de re med. lib. V.

salia. Ita porro de vegetabilibus, quae quoad partes usui dicatas, subdividi merentur in *herbas*, *radices*, *ligna*, *fructus*, *folia*, et *semina*; quoad producta quae medicinae inserviunt in *gummi*, *resinas*, *balsama*, *olea* aut *fixa*, aut *volatilia*, *alkaloidea* etc. Idem repetatur de animalibus, quae in *pinguia*, *adiposa*, *volatilia*, *empyreumatica*, etc. partiuntur. Verum notitiae hujusmodi longe adhuc absunt, ut indolem remedium patefaciant, atque in usum nos ducant, aut quid fortasse lucis ferant. Quum ex gr: emesim movere velim, aut catharsim, summo opere nosse intererit, quae dicta facultate polleant, mineralia sint, aut organica, quas notas secundarias, atque accessorias habebimus et circumstantiis tantum morbi, aut infirmi explendis idoneas.

CXXXIX.

Physicae alii indulserunt methodo, phisicis nempe remedium notis innixae. Occurrunt hinc ex sapore remedia *acida*, *dulcia*, *amara*; a speciali super palatum impressione, *frigida*, et *calida*: quoad odorem *aromatica*, *camphorata*, *alliaca*, *foetentia*, etc. Totidemque subdivisiones, secundum diversas physicas proprietates, pullulant. Adversus alteram hanc pharmacorum distributionem eadem recidunt animadversiones, quod scilicet nec medicaminum

revelant genium, nec applicationi favent. Licet namque ab amaritie ex: gr: edoceas de remedio agi tonicae actionis, antipyreticae, antacidae, haud me tamen aufugit omnia aequae amara, neque semper tonica esse, nec antipyretica, neque antacida, quod profecto scitu magno opere expediret.

CXL.

Non desunt qui pro chemica medicinalium partitione decertant, et juxta reactiones eorum *acida* admittunt, *alkalia*, *neutra*, vel juxta elementorum analysi detectorum praedominium *resinosa*, *balsamica*, *essentialia*, *alkaloidea* et similia. Non minimi porro notitiae hujusmodi forerent, quae expletam pharmaci historiam absolvunt, sed proprietatibus intrinsicis, atque essentialibus utilitatis profecto minoris. Parum reapse intersit, utrum *acida* res fuerit aut *alkalina*, plurimum ex adverso utrum uni, aut alteri morbo medeatur. *Acida* saepius refrigerant, *alkalia* ut plurimum absorbent, sed neque prior neque altera facultas indivise cum dictis remediis sociantur. Adde sub chemica analysi saepenumero quaedam prorsus, aut omnino latere (§ CXXI.), alia sub eadem constitutione diversimode operari, aut e contra (§. CXVI.); tandem elementorum praevalentia vel quoad quantitatem, vel quoad qualitatem medicinales virtutes significari non posse.

CXLI.

Quum inefficax, et manca sit divisio naturalis (§. CXXXVII.) phisica (§. CXXXVIII. et chemica) (§. CXXXIX.) spem nostram in experimentalem sive clinicam collocamus. Illam vero adhuc usque retardarunt:

1.^o Actionum multiplicitas eodem pharmaco inhaerentium, unde difficultas qua implicamur illud uni aut alteri classi referre.

2.^o Inconstans subsidiorum facultas, ex quo stabilis eorum coordinatio fere impossibilis evadit.

3.^o Singularis, atque individualis morborum indoles, quae singulis remediis, non remedium classi, aut generi, obsecundat.

CXLII.

Quum plures sint medicaminum actiones, uti cortex peruvianus, qui tonicus est, antipyreticus, antisepticus etc. hydrargyrus qui antivenereus, anthelminticus et fundens; digitalis quae hypostenica et diuretica, et compescens, nil erit melius in classificatione absolvenda, quam a praepollenti quadam eorum virtute repartitionem depromere. Hinc opium licet sudoris elicendi vi gaudeat, aut adstrictionis, ad sedantia tamen, et narcotica refertur: aloes quoque quod helminthiasim corrigit, ad purgantia ni-

hilominus spectat. Quod si remedium quoddam praevalenti potestate vacaverit, quod quamraro intervenit, ad exceptiones artis servandum, quin universalis regula destrui videatur. Neque valeat afferre Auctorum dissensum circa primariam rerum medicinalium vim, quum plurium magni nominis Virorum suffragium nobis unquam defecerit.

CXLIII.

Potissimum igitur ac necessarium erit ad optimam remediorum distributionem efficiendam ut ipsa medicae praxi, et ipsorum medicaminum applicationi magnopere inserviat. Ad quod nil expeditius quam subsidiorum divisiones indicationum divisioni accomodare: hinc ipsa in classes *primarias*, *secundarias*, atque accessorias dispescere, prout primariae dantur indicationes aut secundariae, aut accessoriae. Sit exemplum gastritidis, quae inflammatione, et ingenti ventriculi dolore stipatur: princeps indicatio quae phlogosim respicit deprimentibus absolvitur: altera sive secundaria, quae ad spasmus stomachi refertur, compescentibus perficitur, quae ad secundariam deprimentium classem pertinent. Expiandum sit abdomen inquinamentis, et irritatione perpeßsum: pro indicatione primaria, quae in saburrarum eliminatione versatur, subducen-
tia praestiterint, quae classe primaria ample-

ctuntur; pro secundaria, ad irritationem leniendam, eccoproctica frigida seligenda forent. Ita porro de caeteris pharmacis, quae quum aut essentialem explicent actionem, aut secundariam in totidem cathegorias partiantur, indicationum generibus respondentes.

CXLIV.

Classificatio pharmacologica illustris Bruschi praefatis licet principiis genita, vitiis nonnullis in-criminatur. Ab effectibus namque remediorum potissimis, qui vel physico-chemicae indolis sunt vel dynamicae, vel specificaе, aut in cruoris crasim explicantur, distributionem Ipse depromens, quatuor proposuit subsidiorum classes:

- 1.^o Remedia *physico-chemica*
- 2.^o *Nevro-dynamica*
- 3.^o *Haemato-plastica*
- 4.^o *Mixto-specifica*.

Peccat porro quia physiologico tantum elemento innititur; quod si praxi auxiliatur, praxim non regit. Ad exceptiones hinc potius referas Tartarum Emeticum, qui ex physiologica vomitus actione, evomendi indicationi explet, sic habeas de quibusdam vix aliis. Ad criterium igitur clinicum, quippe quod universale sit, pharmacologi ferme omnes sedulo confugiunt. Alterum erroris genus eo sistit, quod pharmacorum divisionem in abdita eorum actione, et profun-

diori oeconomiae immutatione colloquet, sive physica, chemica, aut dynamica sit. Vitia haec corporis namque non aequae semper patefunt, et sub exordiis morborum perenniter prorsus latent. Tandem praemissa remediorum divisio nimium stricta videtur, et indicationum numero parum accommodata.

CXLV.

Longum esset hic loci quamplures alias recensere Auctorum classificationes, et laudes aut animadversiones pertexere; libentius inde superiorum medentium distributionem proponimus, quam omnium optimam existimamus. Professi ipsi sunt indicationem in morbis primariam aut ad *correctionem* verti, aut ad *eliminationem*; proindeque remedia in *Corrigentia* dividi autumarunt, et in *Evacuantia*. Et re quidem vera quidquid in curatione morborum fiat, aut molitur, vel in corrigendis solidis, liquidis, et viribus vitalibus versatur, aut in quadam materia amovenda, vel humore suducendo expletur. Duplex haec praestantissima remediorum classis proinde in tot secundarios ordines dispescere satagerunt, quot praecipuae emendandi, vel evacuandi rationes fuerint. Et ut ad exempla deveniam, corrigentia subdividi queunt in *Adstringentia*, *Emollientia*, *Incisiva*, *Coagulantia*, vel in *Excitantia*, et *Sedantia*; evacuantia quoque

dispescuntur in *Emetica*, *Purgativa*, *Sudorifera*, *Diuretica* etc. Postremac hujus generis subdivisiones ab indicationibus alterius ordinis proficiscuntur.

CXLVI.

Etsi superior Veterum divisio imperfectione non vacet, nec omnibus numeris ipsa gaudeat, non secus ac alia quaelibet in medio afferri poterit, meritis nonnullis tamen caeteras supereminet. Culpatur specificorum exclusione, sed haec nulla alia pharmacorum divisione includi quiverint, utpote quae legibus pharmacodynamiae rationalis comunibus explicari non possent, neque naturali coordinationi subijcere. Caeteroquin clinicae magnopere respondet, et quotidiano artis usui facillime accomodatur. Fixis insuper principiis innititur, et cuilibet medicae doctrinae, ac systemati obsecundat, nemine excepto; sub quacumque enim opinione ad correctionem corporis aut ad eliminationem medela quaevis perstringitur.

CXLVII.

Quapropter sequentem pharmacorum distributionem libentissime sectamur.

CLASSIS PRIMA

DE CORRIGENTIBUS

Ordo I.

DE CORRIGENTIBUS ORGANICIS

<i>Species</i>	1. ^o	<i>Nutrientia</i>
»	2. ^o	<i>Alterantia</i>
»	3. ^o	<i>Adstringentia</i>
»	4. ^o	<i>Demulcentia</i>
»	5. ^o	<i>Refrigerantia</i>
»	6. ^o	<i>Emollientia</i>
»	7. ^o	<i>Detergentia</i>
»	8. ^o	<i>Resolventia</i>

Ordo II.

DE CORRIGENTIBUS DYNAMICIS

<i>Species</i>	1. ^o	<i>Stimulantia</i>
»	2. ^o	<i>Tonica</i>
»	3. ^o	<i>Deprimentia</i>
»	4. ^o	<i>Irritantia</i>
»	5. ^o	<i>Anesthetica</i>

CLASSIS SECUNDA

DE EVACUANTIBUS

<i>Species</i>	1. ^o	<i>Diaphoretica</i>
»	2. ^o	<i>Expectorantia</i>
»	3. ^o	<i>Emetica</i>
»	4. ^o	<i>Purgantia</i>
»	5. ^o	<i>Vermifuga</i>
»	6. ^o	<i>Diuretica</i>
»	7. ^o	<i>Emmenagoga</i>

CXLVIII.

Talis dictae divisionis praestantia est, ut quaevis alia in posterum deveniet medela, vel ad unam vel ad aliam committenda foret classem. Hinc chlorophormium nuper in therapiam introductum Anesthetics jure suo spectat, sive quod idem redit ad Corrigentia Dynamica tribuendum. Oleum jecoris Aselli quod Neothericis summopere arridet, Alterantibus proprie dictis refertur; flores Kouso, et Kamalà, hodie in toeniae curatione plurimi habita, Anthelminticis continentur. Haec atque alia de vetustioris remediorum classificationis excellentia testantur, eandemque vobis fidenter committimus.

CAPUT QUARTUM.

DE PHARMACOCRESIA ⁽¹⁾



CXLIX.

Non solum quae verti debeant in curatione morborum nosse oportet, sed qua ratione admoveri etiam praestat, quod porro Pharmacocresia edocet. Hinc disciplina haec definitur *quae remedia utendi modos ministrat*. Sequentia igitur capitula dicta doctrina continentur:

- 1.º De remediorum introductione.
- 2.º De variis pharmacorum formulis.
- 3.º De eorumdem opportuna dosi.
- 4.º De regulis in remediorum praescriptione servandis.

Quoad singula brevis oratio habebitur.

Articulus. I

DE REMEDIORUM INTRODUCTIONE.



CL.

Plures patent subsidiis viae. Praeminent *gastrica, dermatica, et intestinalis*. Hisce acce-

⁽¹⁾ φαρμαχον et χρησις usus.

dunt *olfactoria, pulmonalis, auditiva, ocularis, buccalis, et gengivalis*. Accensetur tandem nuperrime *insitio subcutanea*, vasalis namque pene obsolevit, periculi alca plena. De qualibet summis labiis subjungam.

CLI.

Maximi habetur tum Veteribus, tum Recentioribus introductio gastrica, vel stomachalis, sive ob eximiam ventriculi sensibilitatem, sive ex alacriori absorbendi facultate, cum celerissima remedii in sanguinem ductione; sive ab eximio ventriculi cum cerebro, et nervis consensu, cujus ope raptius actionis medicinalis diffusio subsequitur.

CLII.

Verumtamen non desunt quae dicto introductionis generi, adversantur in praxi magnopere attendenda, atque eliminanda. Ad haec pertinent morbosa humorum gastricorum immutatio, vel sordities quaedam, quorum interventu remedia vel inoffeta fiunt, vel nimis actuosiora, et sontica. Expedit idcirco pharmacorum usui congruam inquinamenti correctionem praemittere. Contra aciditates igitur absorbentia praesto erunt; adversus phlegmas, vel lymphaticum vitium amaricantia et tonica; in gastricas sabur-

ras subducentia conducunt. Hisce expletis remedium usum incohandum.

CLIII.

Altera obstaculi species ab anormali deveniet receptivitatis gradu, quo aliquoties stomachus pollet. Tanta esse enim sensibilitas posset, ut vel medela vehementior fiat, vel prorsus imbecillis. Contingit hoc profecto aut congenita aegrotantis conditione, aut a speciali infirmitatis statu: quae praecaveri possent vel corrigentibus dynamicis, vel dosis regimine, vel aptiori introductionis selectu.

CLIV.

Postremam gastricae insinuationis objectionem faciunt vel repletio ventriculi, vel vacuitas, quae remorant vires medicinales, vel acuunt. Lex est ut nullis obstantibus, jejunio remedia praecipiantur, ne ipsa ab alimentis immutationes patiantur, et a natura sua, et virtute recedant. Excipe nimiam stomachi excitabilitatem, quae repletionis tempore pharmaca admittit, et aliquando etiam desiderat, aut imperat, vis pharmaceuticae infringendae gratia aut castigandae.

CLV.

Datur et introductio remediorum dermatica. Quid boni ipsa promittit ex innumeris inhalantibus vasculis, quibus cutis undeversus uberime irretitur: surculis nervorum, quibus ditari constat, nexu quo cum pluribus visceribus alligatur; synergia vel antagonismo actionis, qui inter ipsam, et mucosas interiores mirifice intercedit. Praemissis, aliisque fortasse abditis, absorptio medicinalis suffragatur.

CLVI.

Usus hic remediorum dermaticus sex praecipue modis expletur, et dicitur:

- 1.^o *Jatro-endermicus.*
- 2.^o *Endermicus.*
- 3.^o *Termo-endermicus.*
- 4.^o *Electro-endermicus.*
- 5.^o *Hydro-endermicus.*
- 6.^o *Ipo-endermicus.*

Prior Vetustioribus jampridem ratus, omniumque simplicior, immediata remedii appositione, expedite absolvitur. De frictionibus medicamentorum mentionem fecit almus Cous, Aselepiades, Temison, Celius Aurelianus, Celsus, Galenus, alique omnis aevi. Vulgata satis erat apud Graccos, et Romanos unguentariorum ars. Ana-

tripsologia ⁽¹⁾ a Neothericis vulgatur, et substantiis adipe, vel succo gastrico ad mentem Chianti, vel saliva ut Brera proposuit exceptis, molitur, cuti epidermide adhuc coniectae, pluries et in longum affricatis, ut absorpta in sanguinem, et oeconomiam salubriter peragrent.

CLVII.

Quo congrue methodus jatroendernica (vel jatro-aleptica) expleatur sequentia rite servabitis:

1.^o Opportunae corporis regiones seligantur, quae nempe absorptioni magis favent, uti axillarum fovea, interior humeri facies, vel femorum, vel quae partibus morbo laccessitis artius nectuntur.

2.^o Pars illinienda sorditiae quavis vacet, aut nimia textus duritie.

3.^o Neque nimium rudis peragatur, nec leviori, quam par sit manu.

4.^o Sat in longum ducatur, adeo nempe ut de immissione constet.

5.^o Universum infirmi corpus ab aeris injuriis vindicetur, et stragulis foveatur, ne inhalantia incaute perstringantur.

6.^o Dupla, vel tripla quantitate remedium adhibeatur.

7.^o Divisionis gradus maximus sit.

(¹) Ανατριψη frictio λογος sermo.

Omnibus sedulo exaratis, si non semper, haud raro profecto, methodus hujusmodi votis medicorum cessit.

CLVIII.

Ratio Endermica ab antecedenti abludet, quod medicamen cuti apponitur epidermide deorbatae. Illam initio decurrentis saeculi illustres *Lambert*, et *Lessieur* in usum medicum detulerunt. Ulcera vesicatorio quodam perpetrata illiniuntur substantiis medicinalibus sub pomatae, vel unguenti forma redactis. Necessum erit ne cutis irritatione, phlogosi, aut cotenna deprehendatur, secus nulla fit remedii absorptio et pathemata, malique effectus insequuntur. Hinc quoque remedia ab hoc usu arceant quae irritationis potis sint, caeteris mitioris vel neutrae actionis admissis. Inter pharmaca sunt quae majorem successus spem promittunt, uti opiata, chinacea, tartarus emeticus, mercurialia, linimenta volatilia. Aegrius contra insinuantur quae solutioni vix cedunt, aut omnino non diffluunt. Ratione efficacitatis, haec jatro-endermicam methodum, Pharmacologorum magni nominis auctoritate, exuperat.

CLIX.

Dicitur *thermo-endermica* introductionis methodus, qua pharmaca caloris interventu in va-

pores redacta corpori admoventur. Aegrotantis caput sub fumigatione excipitur ne respirationis negotio laessito, et circulatione praepedita, suffocatio, lypotimia, et syncope aliaque minitentur hujus generis. Ad hunc usum remedia praeponuntur, quae sublimari comodius possunt, neque in sublimatione ullam subeunt immutationem, aut ab activitate medicinali saltem non recedunt, uti sulphur, cinnabar artificiale, aliaque hujusmodi. Balnea haec, quae sicca dici quoque merentur, idoneis celebrantur machinis quarum forma et fabrica admodum variat: saepius infirmus vestibus discissis, capsula lignea includitur, ut vaporibus circum undique obvolutus, remedium inhalantium porulis recipiat. Modo effectus therapeutici hujus medellae extima corporis superficie perstringuntur, in morbis dermaticis optimi, modo intrinsecus pervadunt eum in discrasiis, aut morbis constitutionalibus desiderandi, ejus exemplum erit syphilis, quae suffitibus cinnabarinis pertractatur.

CLX.

Discriminatur a superiori introductio *hydro-endermica*, quod remedia apponuntur infirmis tepenti aqua prius rite dissoluta. Latex a vigesimo ad vigesimum quartum gradum duci debet. Paratur balneum vel aquis medicinalibus e propria fonte scatentibus, vel artificio chemiac

quodam imitatis, aut substantiis alienis uti sulphureto calcis etc: Partiale fit vel generale. Beneficia expectari queunt vel topica, vel ab universali correctione manantia.

CLXI.

Eruditionis potius quam utilitatis titulo vix de methodo *electro-endermica* eloquar. Quidam Italiae medentes primitus arbitrati sunt fluidum electricum posse remedia quammaxime comminuere, et in oeconomiam viventem secum rapere. Ad hoc enixi sunt *Pirati, Bianchi, et Viratti* ⁽¹⁾ exemplis, et factis nuperrimum inventum comprobantes. Mira quidem forent quae a postremo auctore memorantur, de hominibus scilicet qui manu aloem, gummi-guttam scamoniæ, aliaque subducentia detinentes, si electricitati staticae subjicerentur illico vehementius et pluries purgati essent. Hisce autem apud alios experimentatores irritis, paullo post illustris *Tabbrè-Palaprat* ⁽²⁾ proposuit applicationem remedium fluidorum, ut ex remedii decompositione, quae fit sub Voltaica electricitate, absorptio promptius obtineatur ⁽³⁾ sed nec ista, nec alia illustris *Richardons* ⁽⁴⁾ votis medentium cesse-

⁽¹⁾ Osserv. Med. intorno all'Elettricità: Bologna 1748.

⁽²⁾ Archiv. General. di Medic. anno 1833.

⁽³⁾ Tripien: Manuel d'électrothérapie. Paris 1861. p. 601.

⁽⁴⁾ Medical Times 1859.

re, hinc inter desideranda videntur usque adhuc ponenda.

CLXII.

Adde methodum ipoendemicam nuperius propositam, cujus Auctor praeclarus *Laforque Saint-Emilion* de ipsa sub anno 1836 eloqui videtur. Accesserunt hinc anno 1853 *Alexandri Wood* Edimburgensis dissertatio, et *Beniamini Bell*, et *Caroli Hunter* disceptationes. Liquida sub cute injiciuntur, instrumento insitioni idoneo, vel ad mentem *Fergusson* paratum more anglicorum, aut consilio *Pravaz*, ut Gallici consuescunt. Medela haec celebratur 1.^o vel ad dolores sopiendos compescentibus adhibitis, et potissimum sulphate vel chloroydrate *Atropinae*: 2.^o vel ad depellendas partium paralyses, ex eorundem salium solubilium strychninae usu. Liquida injicenda parantur quinta grani parte substantiae medicinalis, et aquae stillatitiae scriptulo. Effectus, quibus therapeutices huc usque lucrata est, tales fuerunt, ut modo incompletum exhibitum tulere, modo inanes omnino, modo sed infrequentius votis cesserunt. Novis igitur periculis artis amatores sedulo incumbant.

CLXIII.

Quaecvis praedictarum usurpari velit endemica methodus, bona haec devenient.

1.º Remedia immediatam sanguinis viam petunt sine immutatione quam in stomacho pati consuescunt.

2.º Sine mora in penetralibus oeconomiae insinuantur, et effectus therapeuticos promptius explicant.

3.º Stomacho et primis digestionis organis plerumque parcunt. (¹)

4.º Diaetae usui haud officiant et nutritionem universalem non perturbant.

Hisce fortasse de rationibus potissimum vehementiorem, ac magis expeditam vim quaedam exerunt remedia, quum usui externo dicantur, quam ventriculo ingesta.

CLXIV.

Accedit altera introductionis via, qua subsidia admoveri possunt quae *entherica* audit. Enthemata vel liquida sunt vel aëriformia per follem: aliquando latices medicinales ab alto injiciuntur sub ducciarum adscendentium forma. Clysteres dividuntur in *simplices*, *alimentares*, et *medicinales* prout aqua tepenti, jure, vel pharmacis compositi adhibeantur. Infusiones per anum injiciendae dupla vel etiam tripla remedii proportionem parantur, quia crassum intesti-

(¹) Sunt namque quae exterius applicita mucosam gastricam etiam lacerant.

num minorem sensibilitatis gradum, et superfici extensionem servat. Excipias oportet quaedam, uti opiata, et summe diffusilia, quorum vis praeminet et promptu in sanguinem trahuntur. Hinc simplex papaveris decoctio narcosim haud exiguam, medentis admiratione, aliquando detulit. Localem interim vel generalem actionem promittunt. Topice se gerunt clysteres relaxantes, tonici, adstringentes, vel subducentes; universales portendunt effectus enhemata diffusilia, excitantia, vel narcotica, aut alia hujus generis. Liquida injecta modo rectum, modo totum crassum usque ad valvulam ileo-coecalem pervadunt, hinc ex parte absorbentur, ex parte rejiciuntur aliquoties sed rarius rapiuntur omnino. Praecipiuntur tandem vel si necessitas urgeat, praepedita nempe ingestione, vel selectu, aut toedii avertendi causa vel irritationis stomachalis determinandae timore. Alias ad derivationem sollicitandam prosunt in corrigendis organis morbo detentis crasso intestino proximioribus, et arcte famulatis.

CLV.

Ptarmicum appellamus pharmacorum usum quoties schneiderianae mucosae remedia admoveamus. Haec modo sicca sunt, et pulverata ad sternutationem excitandam, alias *sternutatoria* dicta et naribus applicantur, atque hinc *errhina*

etiam vocata, modo vaporosa sunt, sicca sint, vel humida, ignis nempe opere in vapores elata, et suffimenta etiam nominari usuvenit. Non desunt tandem vel mollia, vel liquida. Explicantur eorum effectus vel ex subita nervorum impressione, et materiei ductione in sanguinem, vel utraque ratione simul. Non solum mucosam nasalem afficiunt, sed et universalem, qua sinus frontales, et finitimae cavitates obducuntur. Virtus medicinalis vel loco applicationis circumscribitur, vel medicamine absorpto totam oeconomiam peragratur. Errhina ipsa quae apprime topica viderentur, ob concussionem corporis, vim generalem produunt, caeteras partes concutiendo.

CLXVI.

Methodus ptarmica sequentibus indicationibus inservit:

1.^o Ad vires instaurandas uti in lipothymiis vel syncope substantiarum volatilium suffitu, suavis potissimum indolis atque acceptae, uti spiritus, vel aromatum essentiae, non exclusis etiam foetidis, uti ammoniaca. Commendabilia haec quam maxime habeantur.

2.^o Conducunt quoque sedationis titulo odoramenta in nevralgiis consopendis, sub hysteria evolutis, vel hypocondriaca affectione.

3.^o Morbis encephali, oculorum, vel narium ipsarum, e laeae humoralis pendentibus, ma-

ximi erunt ponderis, potissimum quae irritationem pariunt cum copiosa seri effusione. In hunc censum igitur nicotiana veniunt vel asarum, helleborus, iris atque alia, irritationem et sterutamenta provocantia.

CLXVII.

Aliam introductionis viam pandit pharmacis inspirationis actus, ac *therapeutices respiratoria* a nuperrimis auctoribus dicta. Insufflantur scilicet sub vehementiori inspiratione medicamina ac in pulmones per laryngem, ac bronchiorum ramulos decurrentia rapiuntur. Modo subtiliter pulverata usurpantur, alias sub vaporum specie inhalantur, aliquoties injiciuntur sub liquido statu ad maximum divisionis gradum, cujusdam machinae auxilio ducta.

CLXVIII.

Pulveres medicinales gutturi immittuntur juxta Neothericorum inventa, foliis ad hoc propositi interventu. Primitus fortasse apud nostrates Urbis medentes de recensita insufflationis methodo ratio est habita anno 1860 elapso; hinc apud Parisienses potissimum Morand Depithiviers, qui machinam ab illustri Mathieu propositam, sedulo rimans, utendi modum rite exposuit. Conflatur manticula *elastica* qua

pulvis colligitur, et metallica syringa, vel rectilinea vel leniter recurvata ad apicem forulis pertusa, qua pulvisculum ducitur, quum ex pressione dictae bursulae vi quadam attollitur ⁽¹⁾. Vehementem inter inspirandum cogitur aegrotans pulverem aëri suspensam viriliter secum attrahere, ut ad imas pulmonis sedes perveniat. Pauca adhuc usque curationum exempla vel a nostratibus evulgata, vel ab exteris clinicis deducta, sive ad phtysim emendandam, vel ad contumaciores tusses sopiendas, paullo aut vix quid fidei merentur. Sperandum tamen foret novis iteratisque periculis res voto medentium cesserit.

CLXIX.

Pluribus de rationibus remedia, vapores vel sicci, vel humidi facta respiratoriis viis accedunt. More veterum ori apponi posset spongia emollientibus decoctionibus imbuta, fervens adhuc, quo vaporoso humore pulmonites, vel laryngites juvaretur. Laxatur nempe pars affecta, et excretioni criticae obsecundatur. Stabulorum mora in phtysicis medendis ad hoc quoque curationis genus referenda videtur. Ad inspirationem halituum siccorum vero pertinet usus vaporum, qui ab ignitione balsami cujusdam

(1) Gazette des Hôpitaux N.º 36 anno 1862.

vel resinae, attolluntur, ceu jamdiu in phtyseos medela apud Vetustiores consuevit, qui praefatos aegrotos vaporibus picis navalis committere maluerunt.

CLXX.

Inhalatio therapeutica omnium nuperrima est, quae liquidis ad extremam divisionem ductis utitur, praeclariissimo *Girond* auctore. Eo vergit dicti auctoris apparatus ut liquidum medicinale mechanice tantum in exilissimos globulos divisum, sine caloris nempe auxilio, pulmones petat; quod obtinetur si minimo canali- culi hiatu erumpens, vehementerque hemisphaerium metallicum impingens, in auras abeatoris instar, et valida inspiratione ab aegrotante hauriatur. Constat igitur apparatus antlia, qua latex servatur, embolo cujus ope ipsa impellitur, cannula apice foramine minimo pervia, atque hemispherio. Operatio quindecim, aut viginti horae momenta non excedat, et summo mane, ac jejuniis praecipere debet.

CLXXI.

Medela haec nonnullis pulmonum morbis indicatur, et diversis liquorum medicinalium speciebus, pro morborum differentia, absolvitur. Phlogoses thoracis igitur pertractantur decoctio-

nibus altheae, vel malvae: fluxiones bronchiorum chronicae balsamicis: affectus pulmonum spastici tincturis diapnoicis, uti belladonnae, hyosciami; irritationes mucosae, a labe herpetica, aquis sulphureis, vel naturalibus, vel artificio optime confectis.

CLXXII.

Gengivarum membrana insitioni remediorum etiam paratur. Initio hujus saeculi praestantissimus Chrestien noviter ad dictam methodum medentium attentionem convocans, frictiones auríferas in syphilide proposuit. Plures hinc praefatam introductionis viam non sine aegrotantium emolumento, sectati sunt. Sat namque viget absorptio, et textus sensibilitas. Dietis immo de causis frictiones suspensa manu porrigantur.

CLXXIII.

Eadem modo recensita ad membranam, qua oris cavum et amygdalae teguntur, referri debent. Hinc colluctoria, masticatoria, gargarismata, et oris lavaera, vel morbis topicis dicantur, vel si fieri possit, introductioni remediorum inserviunt. Repetantur quoque quoad mucosam auricularem, ocularem, vaginalem, atque uterinam, quae remediis pertentantur, ut loca-

lem potius suppetant levamen, quam universales effectus promittant.

Articulus II.

DE REMEDIORUM FORMA.

CLXXIV.

Præparatio medicamentorum dicitur etiam forma. Modo ipsa sub statu solido igitur, et *pulverulento* præscribuntur, vel *bolari*, modo sub liquido *solutio* fit, vel *destillatio*, vel *tinctura*, modo sub *vaporum* ratione. *Simplicia* adhibentur, vel *composita*, *nativa*, vel *artificio* confecta. Nonnihil autem erit si una, vel altera præcipiendi forma seligatur. Duplici enim scopo formarum negotium inservit, *majori* scilicet *effectui*, *minori* aegrotantium *incomodo*. Medicina enim optima est, juxta Celsum, quæ *cito*, *tute*, et *jucunde* morbos depellit.

CLXXV.

Uterque interim scopus assequitur, sequentium regularum observantia.

1.º Sub dosi, et mole remedium compingatur minima, hinc caeteris paribus extractum tincturam potius dabis quam radicem ipsam, fo-

lia, decoctum, aut pulverem. Quoties igitur vis medicaminis resina inhaereat, essentia, aut aliali ad hoc elementum, quam ad vegetabile ipsum confugere malueris. Quapropter chininae inventum febrientibus praestantius, et celerius remedium tulit, et ventriculum ab offensione corticis vindicavit.

2.^o Secunda lex erit in formulis redigendis, ut remedia vel sub simplici, et nativo statu ministrentur, vel minimi si fieri possit a naturali conditione amota, ne immutatis propriae constitutionis elementis primitiva pharmacorum facultas nimium evertatur. Limitandae hinc videntur pharmaciae laudes, quae licet saepius in bonum artis vertatur, aliquando tamen nimis artificii, nimisque operationibus auream curationis simplicitatem perdidit « *est enim* (ait Boerhavius) *auxilii bonitas simplicitate censenda, quum periculosa ex ubertate medicina admodum sit* ».

3.^o Compositis formis, ab *incompassibilibus* praecaveatur; ab immixtione videlicet removeri debet quae nova effingunt, vel inutilia, vel adversa, aut sontica.

4.^o Adsociari nequeunt tandem quae oppositam agendi virtutem servant, uti forent depressimentia et extimulantia, adstringentia et subducentia, tonica et infirmantia, sedantia et perturbantia.

CLXXVI.

Incompassibilibus nuper (CLXXV.) memoratis paullo iterum immorabor alias.

CLXXVII.

Quamvis subsidiorum simplicitatem commendaverim (§ CLXXIV.) composita tamen omnino non refutabo. Necessitas, atque utilitas eorum sequentibus rationibus urget.

1.º In complicatione morborum ut singula, et diversa aegritudinis elementa corrigantur, uti de gastrica verminosa foret, quae subducentibus, et anthelminticis profligatur.

2.º In praecedentibus quibusdam infirmi conditionibus, quae in curatione emendari mereantur, ceu esset excedens sensibilitas, vel defectus, prior compescentibus, alter incitantibus corrigendi.

3.º In correctione remediorum vel nimiae, vel minimae actionis ut leniantur, vel acuantur: ita tartarus emeticus copioso latyce attenuatur, et oleum amygdalarum dulcium ricini adjumento intenditur.

CLXXVIII.

Sunt insuper composita quaedam, quae non ratione medica, sed diuturna experientia

magnopere suffragantur. Licet namque pluribus elementis conflata, et primo visu adversantibus, in praxim bono eventu saepius deducuntur. Interim interpretationis ignorantia haud sufficiat ut e foro medico eximia remedia expellantur; ipsa tandem simplicissima Naturae producta, uti vegetabilia, animalia, et fossilia, pluribus et illa principiis, et summopere diversis exurgunt, uti opium quod ab unica vegetabilis expressione obtentum, quatuor acidis componitur, totidem alkalibus, totidemque neutris, quae omnia in unum remedium, atque unam actionem conveniunt. Ex quibus fluit polypharmaciam, dummodo sobria ipsa fuerit et circumstantiis accommodata, artis decori, et bono aegrotantium posse inservire.

Articulus III.

DE REMEDIORUM DOSI.

CLXXIX.

Congruam pharmacorum quantitatem in curatione morborum defigere maxima fuit semper clinicorum opera. Saepius omnibus rite adhibitis, indicationibus scilicet optime institutis, remediis sedulo decretis, bonus exitus deficit ob dosis tantum inopportunitatem. Non immerito igitur inquit Gaubius:

Inter plurimas rationes, ob quas morborum curae aut lentius procedunt, aut plane desinunt in funera, haec est adnumeranda, quod remedia vel minus apposite selecta, vel quae decet quantitate non adhibeantur.

CLXXX.

Quum vero pharmacorum dosis nec fixa, nec perpetuo constans esse possit, sed juxta diversas morbi, et aegrotantis circumstantias fluctuet, praecipua subjunguntur quae illam variam faciunt. Erunt:

- 1.º Aegritudinis ipsius natura, et status.
 - 2.º Remedii indoles.
 - 3.º Infirmi conditiones.
 - 4.º Extrinseca agentia.
- Mox de singulis.

CLXXXI.

Quanta sit porro necessitas, ut remedia naturae aliisque morborum conditionibus quantitate congruant, quisque videt. Affectus ideo dynamicae indolis quae utplurimum eximia nervorum sensibilitate consociantur, minimis potius leniuntur, suaeque sponte natura abeunt, et majoribus exacerbantur, atque in pejus ruunt. Laesiones organicae ex adverso, quae radicitus organis defiguntur, et intimos corporis textus im-

mutant, levioribus vix attinguntur, majores impune ferunt, et aliquando nisi strenuis obsecundant. Idem dicas de morbis inflammatione alitis vel depressione, et chronicitate distinctis, quorum priores ob vitalium virium excessum remediorum parsimonia gaudent, postremi qui athonia pollent majoribus dosibus ad sanitatem tantum ducuntur.

Insuper dosis remediorum tolerantiae pathologicae inservit. Omnium primus fortasse de capacitate morborum remedia ultra dosim suetam sustinendi, illustris Joannes Rasori Bononiae clinicus peritissimus, loquutus fuit. Invictis hoc probavit experientiae argumentis quoad phlogoses pulmonum, quae dictum remedium sub eximia quantitate impune ferunt. Idem occurrit in inflammationibus cujusvis generis, quae strenuas sanguinis depletiones libentius tolerant, maximo aegrotantium emolumento. Nonne de intermittentibus repetendum, quae ingentes sustinent chininae praebitiones? Nonne de syphilide quoad mercurialia, de tetano circa opiata, et de paralysi quoad strichnidea? Quibus, aliisque nonnullis morborum generibus altiores pharmacorum doses saepenumero aptandae videntur.

CLXXXII.

Non desunt inter Neothericos qui signa proponunt, ex quibus tolerantiam hanc medicina-

lem fuisse expletam, sive saturationem jam factam argui posset. Praelaudatus Rasori tartari stibiati saturationem denunciari contendit ex nausea, facium ardore, pustulatione oris, et diarrhoea. Hinc recentiores alii Ipsius vestigia sequentes de saturatione saturni, arsenici, jodii, et mercurii testantur: sed haec non adeo huc usque experientia satis suffulta in dubiis cum praestantissimo Forget ⁽¹⁾ mittimus.

CLXXXIII.

Variabit etiam quantitas juxta diversum infirmitatis stadium; morbo igitur incohante minima sit, subversa nimium enim oeconomia videtur: progressu augenda, statu autem iterum limitanda, et magis magisque ad exitum imminuenda. Excipe casum aegritudinis omni alea plenae, quae ab ipso exordio ingentibus etiam quantitatibus aggredi sinit, veluti esset apoplexia a saburrarum colluvie impendens, quae citius vehementiori deberet, et copiosiori drastico subjici.

LCXXXIV.

Modo de iis quae remedii indolem respiciunt, et dosim gubernant.

(1) Princip: de therapeutiq p: 174: Paris 1860.

1.^o Doses inversam servant virtutis medicinalis rationem: hinc remedium heroicum minima proportione praecipi debet, et mitius pharmacum maxima, media tandem observari pro iis quae modicae sunt facultatis. Quantitas autem minima talis sit oportet, ut trigesimam et ad summum quadragesimam grani portionculam non excedat. Hoc dosis extremum medica experientia et saeculorum auctoritate sancitur, contra Hanemanni sententiam, qua doses medicaminum in infinitum prorsus perducere buccinatur, universali porro Medicorum consensu adversante.

2.^o Discrepatur insuper dosis pro formulae et status qua subsidia adhibentur, differentia: liquida vehementius ut plurimum operantur, hinc pauciori dosi praescribantur, ocius enim absorpta in sanguinem, atque oeconomiam transvehuntur. Sub bolorum autem forma, vel pulveris segnius explicantur. Tincturae, essentiae, alkaloidea, quae sub minori materiei copia ingentiores retinent virtutem, strictiori quantitate debent suppeditari. Remedia composita substantiis nempe corrigentibus, et lenientibus conflata, uberius praestat uti.

CLXXXV.

Conditiones infirmorum propriae, quae medicaminum doses regunt, sunt vel *naturales*

vel *acquisitae*, vel *extraordinariae*: ad priores *aetas* potissimum pertinent, *sexus*, et *idiosyncrasia*; ad alteras *vitalis* *genus* et *habitudines*; ad postremas *climata* et *tempestates* referuntur. Pro quavis conditione porro quantitatis ratio differt.

CLXXXVI.

Quoad aetatem pertinet homines virilitate constituti maximam remediorum dosim desiderant, minimam pueri, et mediam senio confecti, cuique hinc aetati intermediana quantitas adsignanda. Et ab astractionibus ad numericam quantitatem deveniendo, si integram remedii unitatem ($\frac{12}{12}$) virilitati pertineat, duodecima infantibus pars spectat, et sexta senibus atque ita porro eadem proportionem, quoad caeteras aetates subdivisio intelligatur.

AETAS			DOSIS	
ANN.	1	2 1/2	PARS.	1/12
»	2 1/2	5	»	2/12
»	5	7 1/2	»	3/12
»	7 1/2	10	»	4/12
»	10	12 1/2	»	5/12
»	12 1/2	15	»	6/12
»	15	17 1/2	»	7/12
»	17 1/2	20	»	8/12
»	20	22 1/2	»	9/12
»	22 1/2	25	»	10/12
»	25	27 1/2	»	11/12
»	27 1/2	30	»	12/12
»	30	60	»	13/12
»	60	65	»	14/12
»	65	70	»	15/12
»	70	75	»	16/12
»	75	80	»	17/12
»	80	85	»	18/12
»	85	90	»	19/12

Senes autem aliquando ob sensibilitatis defectum majoribus indigent dosibus, quod plurimi praenosse refert.

CLXXXVII.

In definienda remedium dosi sexus quoque quamdam sibi rationem vindicat. Namque nos physiologia edocet viros solidorum vi, et foeminas vitalitatis alacritate praestare: hinc remedia, potissimum dinamica, majori quantitate prioribus admoveri posse, postremis autem parca manu praecipi. Omnibus rite consideratis,

et perpenso experientiae oraculo, sexus foemineus duas tertias partes dosis ferre videtur, quae viris adsignari consuescit. Qui majora cupit subnexam tabulam adeat (A).

Foemina insuper ob menstrua, gestationem, partum, puerperium, et lactationem majori incitabilitati gaudens remediorum parsimoniam reclamatur.

(A) AETAS			DOSIS	
ANN.	1	2 $\frac{1}{2}$	PARS.	$\frac{1}{12}$
»	2 $\frac{1}{2}$	5	»	$\frac{2}{12}$
»	5	7 $\frac{1}{2}$	»	$\frac{3}{12}$
»	7 $\frac{1}{2}$	10	»	$\frac{4}{12}$
»	10	12 $\frac{1}{2}$	»	$\frac{5}{12}$
»	12 $\frac{1}{2}$	15	»	$\frac{6}{12}$
»	15	17 $\frac{1}{2}$	»	$\frac{7}{12}$
»	17 $\frac{1}{2}$	20	»	$\frac{8}{12}$
»	20	50	»	$\frac{8}{12}$
»	50	60	»	$\frac{7}{12}$
»	60	70	»	$\frac{6}{12}$
»	70	80	»	$\frac{5}{12}$
»	80	90	»	$\frac{4}{12}$

($\frac{2}{3}$)

CLXXXVIII.

Ex varia idiosyncrasiae specie pharmaca aut extra modum tolerantur, aut strenue persentiuntur. Testatur Haller nonnullos novisse qui rhabarbari odore tantum, hellebori, aut colocyntidis alvum pluries deponebant. *Sunt qui ait Folchi* (¹) *fortes tolerant emetici doses, dum*

(¹) Hygie. Cap. I. pars II.

alii solo cancrorum pulvere, aut magnesia graviter perturbantur. Egomet ipse vidi mulierem cholicae abdominalis passione toties acriter multam, quoties ipsa cassiae pulpam ingesserit. Quam ob rem experientia ineluctabili constat de adersione, et de sympathia erga remedia ab idiosyncrasia genita, physiologica ideo nuncupanda, ut ab alia discriminetur, quae ab infirmitatis indole derivat. Haec omnia quae praenosci possent praecedenti aegrotantis notitia, doseos etiam regulas suppeditant.

CLXXXIX.

Habitudinis imperium in physiologicis actibus elucet hinc summum frigus, vel summum aestum assueti sine noxa sustinent; patet quoque ex pathologia, quum aegritudines quidam pluries repetitas minori toedio ferant, et aliquando licet rarius contagiorum actioni absque acrumna resistunt; amplissime tandem in therapia ostenditur, ab iis qui ex consuetudine venenatis substantiis queunt exponi, integra eorum sanitate ⁽¹⁾ Interdum immo ex quadam neces-

⁽¹⁾ Hinc apud Galenum legimus in libro de theriaca ad Pisonem: *Mithridatem illum bellatorem magnum ferunt non assumpta theriaca, quae nondum erat, sed alia quapiam multiformi antidoto mitridatica de illius nomine dicta, non potuisse sumpto veneno mori, quoniam sic illius membra temperaverat, ut a re noxia pati non posset.* (Venetiis 1625 Papit 16). Vide et alia, quae a Schenkio enarrantur hujusmodi. (Oper. Citat. p. 887).

sitatis lege ab habitudine exorta, remediis uti tenentur ut bene se habeant, ceu iis contingit, qui ut somnum capiant opio indulgere debent, sive morbo adhuc vigente, sive ipso jamdiu elapso. Qui saepius sub laevioribus vitae incommodis subductionem amant, majori purgantium copia pertractari debent, ita quidem dici meretur de extimulantibus, aut deprimentibus quae ad elatiores doses duci debent, juxta aegroti consuetudinem.

CXC.

Hygienes tradit quo diversa terrarum clymata animalem oeconomiam immutent; pathologia differentias morborum illustrat diversis regionibus proprias; therapeutica spectant animadversiones circa varias curationis methodos clymatibus convenientes; pharmacologia tandem dictat discrimina dosium infirmis diversarum plagarum accomodata. Generatim qui sub climate frigido incolant, firmiori gaudent solidorum textu, et torpescenti potius distinguntur nervorum receptivitate, proindeque heroicis egent pharmacis, et majori dosi adhibendis. Ex opposito regionum calidarum habitatores utpote qui laxis partibus, et fluxili humorum crasi constituuntur, et eximia sensibilitate pollent, mitiora desiderant, et leviores quantitates exoptant. Quare inter Nostrates qui a Medentibus exteris

ne hilo quidem in curatione recedunt, dosi non excepta, sane decipiuntur. Caveas tamen ab excessu eorum qui nimium hisce clymatum differentiis tribuunt, aut ab aliis, quorum opinio esset, quamvis discrepantiam omnino rejicere. Medio tutissimus ibis, si cum immortalis Baglivio ⁽¹⁾ existimaveris quovis orbis tellure pathologicas esse et therapeuticas differentias sedulo perpendendas. ⁽²⁾ *In remediis itaque praescribendis semper ante oculos habe tui clymatis naturam, tuorumque popularium temperiem, neque quidquam perscribas quod ex libris didiceris nisi praedicta calleas. Eadem prorsus dicenda forent quoad diversas anni tempestates.*

Articulus IV.

DE METHODO CONCINNANDI FORMULAS MEDICINALES.

CXCI.

Formula medicinalis (vulgo *recepta*) nil aliud est nisi *ordinata ac lucida medicaminum praescriptio per scripturam significata*. Quavis haec tria continentur;

1.^o Materies sumenda.

2.^o Modus praeparationis, quo pharmacopola uti debet.

⁽¹⁾ *In aere romano scribo*: Bagliv. Prat. Medic.

⁽²⁾ Idem Lib. 1. part: 57.

3.^o Ratio, qua remedium ab infirmo debet ingeri, aut adstantibus ministrari.

In formulis redigendis errores cujusvis sint generis arceant, qui periculum infirmis ferant, vel incomodi aut fastidii occasionem praebent, si velis artis medicae decorem, et sanitatis tutelam servare. Formularum igitur negotia ad insequentia perstringuntur:

1.^o *Ad materiem*

2.^o *dosim*

3.^o *ordinem*

4.^o *formam.*

De hisce *veloci calamo* subjungam.

Articulus I.

DE MATERIE.

CXCII.

Materies formulae *elementa medicinalia* respicit, quae in usum vertere malueris. Aliquoties unum erit elementum medicamentosum, et tunc *formula simplex* habebitur, saepius vero plura sunt, ideoque *formula* nuncupatur *composita*. Elementa haec componentia diversam sumunt appellationem juxta diversum quod fungunt officium, *basis* nempe *adjuvans*, *corrigen*s, et *constituens* Pharmacologorum more vulgantur.

CXCIII.

Basis indigitat *praecipuum formulae elementum*, illud nempe cui omnis curatio prorsus committitur. Modo praestantissimum hoc elementum erit unicum, modo duplex, triplex, et amplius, hinc basis *simplex* sistit vel *composita*. Exemplum basis compositae habebitur in electuario balsamico illustris Clerc, quo continetur balsamum copaive et cubebe, quibus curatio blenorhoeae virulentae indiscriminatim committitur. Idem esset praescribere extractum gentianae luteae, et extractum ligni quassiae amarae, ad dispepsiam corrigendam; in idem rediret si praescribi vellet extractum valerianae sylvestris et extractum hyosciami ad nervorum spasmos compescendos. Haec atque alia basis compositae exempla essent.

CXCIV.

Nuncupatur *adjuvans*, ve lauxiliare, alterum formulae elementum, quod basis vim adauget atque acuit. Stipitibus Dulcamarae quid aliquando Salsaparillae adjicitur, ut correctiva Dulcamarae facultas ad majorem actionis gradum ducatur. Ita porro fit quoad Mannam, cui sal anglicanum consociatur, aut quoad Cassiam, cui quid Bitartratis potassae copulari solet ut subducens illius actio intendatur. Quod si a-

djuvantium usus supervacaneus videatur, (levioris namque basis defectus dosis augmento corrigi posset), animadvertatur adjuvantium officio majorum dosium molestias removeri.

CXCV.

Quidquid basis vitia emendat *corrigen*s dicitur. Aliquando nimiam ipsius vim infringit, temperantis rationem explicans, aliquoties vero insuavem odorem saporemque castigat, ad gratum praesidium redigens. Duplex igitur officium corrigentium est, noxios remediorum effectus avertere, et aegrotantium gustui inservire. Praeparata ex chinina saepius opiat's admiscuntur, ne nimia nervorum mobilitas ledatur, neque agrypnia aut quaelibet alia receptivitatis vitalis molestia exoriatur. Saepenumero quoque martialibus extracta amara famulari consuescunt, ne meteorismus fiat ab aeriformibus in abdomine extricatis. Quae ad gratiam addi consuescunt, mellita ut plurimum sunt, saccarina, fragrantia, vel aquosa et diluentia. Hoc interim fixum in corrigentibus admovendis maneat, ne medicinalis remedii facultas nimium immutetur, aut ex integro sufflaminetur, ea nempe quae specialiter immutata vim omnem demittunt, corrigentium usum excludunt, uti de lichene islan, dico interveniet, si amarore suo omnino deorbaveris. Corrigentia demum removeri debent

quae vel medicaminum facultates destruunt, vel infirmi conditionibus adversantur, aut morbo ipsi favent.

CXCVI.

Basis, adiuvens, et corrigens per quamdam substantiam intermixtam insimul copulentur, eaque, hujus officii gratia, *excipiens*, vel *constituens* vocatur. Extractum quoddam igitur ut illud liqueritiae, vel violarum, vel graminis, vel rosarum todidem sunt excipientium exempla. Genera autem constituentium ut numerentur vel mollia sunt, uti extracta superius recensita, quae in massam plus minusve solidam elementa compingunt, vel liquida uti aqua communis vel stillatitia, alcohol, aether et caetera, quae pharmaca solida dissolvunt, atque attenuant. Sunt quae quibuscumque excipientium speciebus copulari possent, sed alia obveniunt quae nonnullis adversantur. Gummosa, vel gummi-resinosa aqua subigi nequeunt, hinc intermediarii interventus urgent uti ovorum vitellum, vel emulsio quaedam. Menstruorum inde usus rite fiat, et ex cognitione substantiae diffluendae ducatur.

CXCVII.

Huc usque vidimus distinctum cujuslibet elementi officium, animadvertatur modo quod-

libet elementum aliquando pluribus officiis eodem tempore satisfacere. Quum aethiopi martiali extractum gentianae adsociatur, alterum vices fungit adjuvantis simul atque excipientis; ita dicendum de infusione Sennae alexandrinae quae Mannam calabrinam adjuvat, et dissolvit, de adipe vel saliva, quae plura pharmaca acutiosioris naturae et temperant, et excipiunt.

Sectio II.

DE DOSI

CXCVIII.

Quavis formula dosis venit consideranda. Significatur ipsa aut per *numeros*, aut per *mensuram*, aut per *pondus*. Perplura sunt elementa medicinalia, quae per numerum enunciantur; talia erunt amygdalae fructus, ovorum vitelli, ranae, cancri fluviatiles, et nonnulla alia. Recipe hinc dicitur amygdalas dulces N.º j-ij-iiij-et caetera.

CXCIX.

Pro quibusdam autem aliis pharmacis mensura usurpatur. Discriminantur hinc mensurae species juxta siccum, aut liquidum medicamentum statum. Pro remediis siccis, vel aridis uti

pharmacologi dicunt, *fasciculus* valet, *manipulus*, et *pugillus*. Fasciculus (vulgo braccio) quantum brachio complicato capi potest, continet, et aequalis habetur manipulis duodecim. Rarius haec mensurae species in usu est, nec nisi ad balnea ex herbis conficienda adhibetur. Manipulus illius molis est quam tota manu complecti possumus, et pugillos jv adaequat. Pugillus tantum continet quantum duobus digitis prioribus unius manus adductis tolli potest. Liquida metiuntur ad usum medicinae vulgarem cochleari, sive majori, sive minori, et guttis. *Cochlear majus* ad semiunciam ut plurimum accedit; *minus* tertiam majoris partem aequat. *Gutta* unius grani ponderi saepius acquivalet. Haec autem liquidorum mensura, et pondus pro diversa eorum gravitate nonnihil variant.

CC.

Dosis tandem quoad remedia alia per pondus designatur. Genera autem ponderis unicuique regionum civitati distincta, ac diversa obveniunt. Quae hodie apud nostratum officinas usurpantur haec sunt;

Granum
Scrupulus
Dracma
Uncia
Libra

Granum ita appellatur quod grani triticei pondus refert. *Scrupulus* 24. grana continet. *Dracma* tres scrupulos vel 72 grana refert; *Uncia* dat octo dracmas vel 576. grana. *Libra* tandem 12. uncias, vel 6912. grana ministrat.

CCI.

Quoad dosim animadvertatur quod quantitatis dimidium significatur in formulis per *semis* vel *semisse*. Quum plura formulae elementa eadem dosi praecipiuntur scribi debent unum alteri subposita, lineola ad dextram comprehensa, et duplici littera *aa* subsignata quod ana indicat vel *aequali quantitate*. Ubi elementum quoddam indeterminata dosi suppeditari posset, quod de excipientibus saepius erit, ad libitum pharmacopoeae committitur, quod exprimitur literis *q. s.* sive *quantum satis*, vel si quid pauxilli dari debeat significatur *ad. gr.* quod sibi vult *ad gratiam*.

Sectio III.

DE FORMULAE ORDINE

CCH.

Pro formulae ordine recta intelligitur elementorum medicinalium dispositio. Hisce igitur cautionibus obsecundet.

1.º Quodvis elementum lineam formulae occupet, quin aliud eadem inseratur.

2.º Quum plura sint ejusdem generis, unum alio subjungantur, nullo alterius speciei interjecto, primo titulo omisso brevitatis gratia, cujus loco lineola horizontalis substituitur; hinc resinae, balsama, pulveres, aquae stillatitiae, et caetera progressive, atque immediate succedant; ita dicitur:

Aquae stillatitiae Matricariae

- Chamomillae

- Cinnamoni.

3.º Elementa adeo apponuntur ut basis praecedat hinc adjuvans, corrigens, et excipiens sequantur. Sed aliquando excipiens vel menstruum caetera anteit, quum scilicet necesse sit basim antea dissolvere, atque attenuare ut adjuvanti, aut corrigenti commisceri possit.

Sectio IV.

DE PRAESCRIPTIONIS FORMA

CCIII.

Forma praescriptionis est medicaminum status, sive eorum aggregationis species. Datur igitur forma *solida*, *pulverulenta*, *mollis*, *solido-mollis*, et *liquida*. Haec quoad formam observantur:

1.º Arceant quae conjunctionem recusant, aut ei parum favent.

2.º Removeantur formae quae individuum conditionibus adversantur, quod si sub bolis remedia suppeditares infantibus, aut iis qui deglutitione difficili laborant porro decipies.

3.º Cuidam remedio forma adsignetur magis opportuna, licet quaedam subsidia pluribus formis submitti queant, uti extracta quae vel pulverata adhibentur vel in bolis, vel soluta.

CCIV.

Partes formulae essentielles adhuc usque enumeravimus, modo *accessoriae* veniunt explicandae. Accessoriae haec sunt

{ *Indicatio*
 { *Subscriptio*
 { *Signatura*

CCV.

Indicatio comprehendit exactam medicinalium enumerationem, dosim, determinationem et optimam materiarum dispositionem, quibus omnibus litera R praeponenda, quae *Recipe* significat.

CCVI.

Subscriptio innuit pharmacopoeae formam sub qua ingredientia disponenda erunt. Monita

igitur comprahendit quae pharmacopolam edocent, modos remedia parandi et ministrandi. Laconico ut plurimum et officinali dictione utimur, vulgatisque et concisis phrasibus, quarum nonnullas magis familiares hic subjungam.

Fiat pulvis

Fiant boli

Detur in chartulas

Da in vase vitreo

Quod si de remediis volatilibus agatur medicus monebit:

Serva in vase rite clauso.

Quum substantia mollis in pillulas reducenda foret pulveris opera:

Pulvere liqueritiae adspergantur.

Vel pillulae:

Dentur in nebulis

Quando massa pillularis vel sub aëre immutatur, vel incomodos halitus spargit, folio argenteo obtegi debet. Pillulae:

Folio argenteo obvolvuntur.

Et quoad operationes pharmaceuticas rite significandas haec alia in usu sunt:

Fiat infusio

decoctio

gelatina

electuarium etc.

Si de materiae praeceptae divisione agatur dicitur:

Divide in chartulas, bolos N.º ij. iij. jv. etc.

CCVII.

Signatura infirmo et adstantibus alloquitur, monita scilicet ipsis suggerit quae remedii sumptionem vel praebitionem respiciunt. Hinc quoad praebitionis momentum magis accommodatum dicitur:

Capiat mane

Cap: vespere

Cap: quotidie

Quoad ingestionum numerum subjungitur

Sumat una vice

duabus vicibus

Sum. partitis vicibus

Capiat cochleatim

Sorbillatim etc.

Circa demum temporis spatium intra praebitiones deterendum innuitur:

Capiat quaque hora

Cap. omni bihorio

Cap. omni trihorio etc.

Tandem ad calcem formulae Medentis nomen apponitur.

FINIS.



2137

ERRATA

CORRIGE

<i>Pag.</i>	3 - Excelsium.....	Excellentium
»	59 - Caput III.....	Articulus III.....
»	64 - Caput IV.....	Articulus IV.....
»	125 - Articulus I....	Sectio I.....

I N D E X

PROEMIUM

§. I.	Pharmacologiae definitio.....	Pag.	5
§. II.	Discrimen inter Acographiam et Pharmacologiam	»	5
§. III.	Pharmacologiae divisio in generalem et particularem.....	»	5
§. IV.	Origo pharmacologiae generalis.....	»	5
§. V.	Distributio pharmacologiae in Pharmacognosiam, Pharmacodynamiam, Pharmacotaxiam et Pharmacocresiam.....	»	6

Caput I.

DE PHARMACOGNOSIA.

§. VI.	Remedii definitio atque explicatio.....	Pag.	6
§. VII.	Excluditur definitio illustris Bruschi....	»	7
§. VIII.	Extrinsecæ remediorum differentiae....	»	7
§. IX.	Remedia inorganica perpenduntur.....	»	8
§. X.	Idem de organicis.....	»	8
§. XI.	Quae vegetabilium variabilitatem generant »		9
§. XII.			9
§. XIII.			10
§. XIV.	Animadversiones quoad remedia animalia »		10
§. XV.			10
§. XVI.	Differentia remediorum ab actionis gradu »		11
§. XVII.	Idem ab actionis extensione.....	»	12
§. XVIII.	Recensentur aliae remediorum divisiones. »		13

Caput II.

DE PHARMACODYNAMIA.

§. XIX.	Quid pro Pharmacodynamia intelligendum et quibus articulis constet.....	Pag.	13
---------	---	------	----

ARTICULUS I.

DE REMEDIORUM ACTIONE.

§. XX.	Quae remediorum interpretationem impediunt	Pag. 14
§. XXI.	Potissimum impedimentum ex theoria humoralis.....	» 14
§. XXII.	Idem ex systemate Jatrophysicorum	» 15
§. XXIII.	Idem ex doctrina chimiajatrifica.....	» 15
§. XXIV.	Idem ex systemate electrico.....	» 16
§. XXV.	Idem ex Vitalismo	» 16
§. XXVI.	Concluditur pro Ecletismo.....	» 17
§. XXVII.	Appendicula quoad actionem chemicam... »	18

ARTICULUS II.

DE IMMUTATIONE CORPORIS ET ORGANISMI REACTIONE.

§. XXVIII.	Immutatio physiologica et reactio explicantur	Pag. 18
§. XXIX.	Prima immutatio et effectus passivi dijudicantur	» 19
§. XXX.	Actio physiologica variabilis est.....	» 19
§. XXXI.	Causae hujus variabilitatis.....	» 19
§. XXXII.	Aetas ad hasce causas spectat.....	» 20
§. XXXIII.	Idem sexus.....	» 20
§. XXXIV.	Idem temperamentum	» 20
§. XXXV.	Idem idiosyncrasia	» 21
§. XXXVI.	Idem indoles morborum	» 21
§. XXXVII.	Non deneganda peculiaris remediorum facultas	» 22
§. XXXVIII.	Respuitur absoluta identitas aut contrarietas remediorum	» 22
§. XXXIX.	Succedanea definiuntur	» 23
§. XL.	Extensio et duratio reactionis perpenditur »	23
§. XLI.	Effectus reactionis.....	» 24
§. XLII.	De <i>electivitate</i> pharmacorum	» 25
§. XLIII.	Electivitatis exempla afferuntur.....	» 25
§. XLIV.	Electivitas utrum omnibus spectet.....	» 25
§. XLV.	Electivorum studium fovendum.....	» 26

§. XLVI.	Quot theoriis electivitas explicetur.....	Pag. 26
§. XLVII.	De theoria mechanica	27
§. XLVIII.	Idem de chemica.....	27
§. XLIX.	{ Idem de physiologica	28
§. L.		28
§. LI.	De <i>actione specifica</i>	29
§. LII.	Quomodo specifica actio ab electiva di-	
	scriminetur	30
§. LIII.	Quae affinitas inter remedia et causas pa-	
	thogenicas	30
§. LIV.	Probatur affinitas	31
§. LV.	Non excludendum etiam discrimen.....	32
§. LVI.	Intrinseca remedium vis rimatur et di-	
	viditur in physicam, chemicam et vitalem »	33
§. LVII.	<i>Remedia physica</i> considerantur.....	33
§. LVIII.	Genera physicorum subsidiorum.....	34
§. LIX.	Characteres eorum.....	35
§. LX.	Corollaria circa eorum usum.....	35
§. LXI.	<i>Pharmaca chimica</i>	35
§. LXII.	Chimica probantur.....	36
§. LXIII.	Chemicorum celeritas vel tarditas.....	37
§. LXIV.	Summa chemicorum genera.....	37
§. LXV.	<i>Neutralisantia</i> aperiuntur.....	38
§. LXVI.	<i>Detersiva</i> idem.....	38
§. LXVII.	<i>Caustica</i> idem	39
§. LXVIII.	<i>Nutrientia</i>	39
§. LXIX.	<i>Antidiathetica</i>	39
§. LXX.	Remedia chemica alias actiones non re-	
	spuunt	40
§. LXXI.	De <i>remediis dynamicis</i>	41
§. LXXII.	Utrum omnia remedia initio sint dyna-	
	micae actionis ?.....	41
§. LXXIII.	Dynamicorum divisio.....	43
§. LXXIV.	<i>Stimulantia</i> quae sint.....	43
§. LXXV.	Utrum stimulantia omnia encephalon pri-	
	mitus petant.....	44
§. LXXVI.	Stimulantia quoad gradum diffusionis variant »	45
§. LXXVII.	Stimulantium effectus	45

§. LXXVIII.	{ de quibusdam stimulantibus dubitatio. „	Pag. 46
§. LXXIX.		„ 46
§. LXXX.	Stimulantia ob excessum deprimunt. „	47
§. LXXXI.	Stimulantia habitudini inserviunt „	47
§. LXXXII.	De <i>deprimentibus</i> : quae sint. „	48
§. LXXXIII.	{ Deprimentia in directa et indirecta scin-	
§. LXXXIV.		duntur „ 48
§. LXXXV.	Effectus deprimentium. „	50
§. LXXXVI.	Quorundam deprimentium dubitationes. „	51
§. LXXXVII.	Remedia <i>irritantia</i> ab aliis discriminantur „	52
§. LXXXVIII.	Irritantium praecipuorum census. „	52
§. LXXXIX.	Effectus irritantium enumerantur „	53
§. XC.	{ Irritantia aliquando organicam compa-	
		ginem immutant „ 54
§. XCI.	{ Irritantia hodie subdividuntur in. „	54
		<i>Substituentia</i> „
		<i>Transpositiva</i>
		<i>Expulsiva</i>
	<i>Excitantia</i>	
§. XCII.	Quae transpositiva et revulsiva sint. „	55
§. XCIII.	Quae expoliativa expulsiva „	55
§. XCIV.	Quae excitantia „	56
§. XCV.	De actione remediorum <i>composita</i> . „	56
§. XCVI.	Quid ab actione composita exurgat. „	57
§. XCVII.	Quid Gozius senserit quoad actionem	
	compositam „	58
§. XCVIII.	Corollaria clinica circa dicta remedia. „	58

ARTICULUS III.

DE NEXU INTER ACTIONEM MEDICINALEM ET SANITATIS REDITUM.

§. XCIX.	Quae sit actio <i>medicinalis</i> et quomodo	
	a physiologica abludat. „	Pag. 59
§. C.	Utrum actio physiologica sit semper	
	pathogenica „	60
§. CI.	Actio medicinalis indirecta a physiolo-	
	gica dependet. „	60
§. CII.	Dicta dependentia argumentis evincitur. „	61

§. CIII.	Gradus hujus dependentiae statuitur ...	Pag. 62
§. CIV.	Quae relatio inter phœnomena physiologica et morborum symptomata.....	62

ARTICULUS IV.

DE CRITERIIS QUAE REMEDIORUM NATURAM DETERMINANT.

§. CV.	Criteria haec enumerantur	Pag. 64
§. CVI.	Criterium <i>historicum</i> adumbratur	64
§. CVII.	Idem quoad vegetalia maximi existimandum	65
§. CVIII.	Quibus vegetalibus praecipue valeat ...	66
§. CIX.	Quibus circumstantiis infirmatur.....	66
§. CX.	De criterio <i>physico</i>	67
§. CXI.	Criterium physicum ex sapore	68
§. CXII.	Idem ex odore.....	69
§. CXIII.	Idem ex colore	70
§. CXIV.	Difficultates contra criterium physicum.	70
§. CXV.	De criterio <i>chemico</i>	71
§. CXVI.	Quae hoc criterium debilitant.....	72
§. CXVII.		73
§. CXVIII.	Quae huic auxiliantur.....	73
§. CXIX.		74
§. CXX.		74
§. CXXI.	De criterio <i>Zoologico</i>	75
§. CXXII.		75
§. CXXIII.	Objectiones adversus hoc criterium rimantur.....	76
§. CXXIV.		76
§. CXXV.	Quibus regulis dictum criterium regendum	77
§. CXXVI.	Excluditur insitio in venas brutorum..	77
§. CXXVII.	Quae beneficia ab experimentis in brutis obtineantur.....	78
§. CXXVIII.	De criterij <i>physiologici</i> praestantia.....	79
§. CXXIX.	Quae fallaciae ejusdem	79
§. CXXX.		80
§. CXXXI.	Quibus regulis temperandum.....	81
§. CXXXII.	De criterio <i>clinico</i> omnium praestantissimo et necessario.....	81

§. CXXXIII.	Regulae proponuntur, quae dictum cri-	Pag. 82
§. CXXXIV.	terium regunt.	» 83

Caput III.

DE PHARMACOTAXIA

§. CXXXV.	Argumenta pharmacotaxiae pertinentia re-	Pag. 83
	censentur.	» 84
§. CXXXVI.	Utilitas pharmacotaxiae.	» 84
§. CXXXVII.	Historia hujus disciplinae.	» 84
§. CXXXVIII.	Ex quibus fontibus classificatio depro-	» 85
	mitur ab auctoribus ; quae naturalis	» 85
§. CXXXIX.	Quae divisio <i>physica</i>	» 86
§. CXL.	Quae divisio <i>chimica</i>	» 87
§. CXLI.	Quae <i>clinica</i>	» 88
§. CXLII.	Multiplex actio hanc divisionem non destruit	» 88
§. CXLIII.	Classificatio clinica enucleatur.	» 89
§. CXLIV.	Divisio illustris Bruschi improbanda ..	» 90
§. CXLV.	Classificatio veterum praeponitur.	» 91
§. CXLVI.	Ab offensionibus vindicatur.	» 92
§. CXLVII.	Prospectus recensitae classificationis. ...	» 92
§. CXLVIII.	Praestantia dictae divisionis confirmatur	» 94

Caput IV.

DE PHARMACOCRESIA

§. CXLIX.	Quae sit et quae argumenta comprehendat	Pag. 95
-----------	---	---------

ARTICULUS I.

DE REMEDIORUM INTRODUCTIONE.

§. CL.	Praecipuae introductionis viae enumerantur	Pag. 95
§. CLI.	Introductio <i>gastrica</i> perpenditur.	» 96
§. CLII.	Quae huic adversantur.	» 96
§. CLIII.	Quae huic adversantur.	» 97
§. CLIV.	Quae huic adversantur.	» 97
§. CLV.	Introductio <i>dermatica</i>	» 98
§. CLVI.	Species introductionis dermaticae.	» 98
§. CLVII.	Regulae quoad methodum <i>jatro-alepticam</i>	» 90
§. CLVIII.	Methodus <i>endermica</i>	» 100
§. CLIX.	Item <i>thermo-endermica</i>	» 100

§. CLX.	Idem <i>hydro-endermica</i>	Pag. 101
§. CLXI.	Idem <i>electro-endermica</i>	» 102
§. CLXII.	De introductione <i>ipo-endermica</i>	» 103
§. CLXIII.	Bona ab hisce introductionibus expectanda	» 103
§. CLXIV.	De introductione <i>enterica</i>	» 104
§. CLXV.	De <i>ptarmica</i>	» 105
§. CLXVI.	Quibus indicationibus methodus <i>ptarmica</i> inserviat.....	» 106
§. CLXVII.	De <i>therapeutice respiratoria</i>	» 107
§. CLXVIII.		» 107
§. CLXIX.		» 108
§. CLXX.		» 109
§. CLXXI.	Quibus indicationibus obsecundet	» 109
§. CLXXII.	De introductione <i>gingivali</i>	» 110
§. CLXXIII.	De introductionibus minus obviis	» 110

ARTICULUS II.

DE REMEDIORUM FORMA.

§. CLXXIV.	Quid pro forma intelligatur	Pag. 111
§. CLXXV. }	Regulae quae formas respiciunt	» 111
§. CLXXVI. }		» 111
§. CLXXVII. }		» 113
§. CLXXVIII }		» 113

ARTICULUS III.

DE REMEDIORUM DOSI.

§. CLXXIX.	Dosis remediorum plurimi habetur....	Pag. 114
§. CLXXX.	Quae dosim regunt	» 115
§. CLXXXI.	Indole et tolerantia morborum variat..	» 115
§. CLXXXII.	Tolerantia expletur	» 116
§. CLXXXIII.	Dosis variat stadio morborum	» 117
§. CLXXXIV.	Variat remedi, specie et statu	» 117
§. CLXXXV.	Idem aegrotantium circumstantiis	» 118
§. CLXXXVI.	Aetate infirmi	» 119
§. CLXXXVII.	Sexu	» 120
§. CLXXXVIII.	Idiosyncrasia	» 121
§. CLXXXIX.	Habitudine	» 122
§. CXC.	Climata	» 123

ARTICULUS IV.

DE METHODO CONCINNANDI FORMULAS MEDICINALES.

- §. CXCI. Quae sit formula medicinalis et quibus
constituatur elementis Pag. 124

SECTIO I.

DE FORMULAE MATERIE.

- §. CXCII. De formulae elementis Pag. 125
§. CXCIII. Basis formulae " 126
§. CXCIV. *Adjucans*. " 126
§. CXCV. *Corrigens*. " 127
§. CXCVI. *Excipiens* " 128
§. CXCVII. Multiplex elementorum officium. " 128

SECTIO II.

DE DOSI FORMULAE.

- §. CXCVIII. Quomodo dosis significatur Pag. 129
§. CXCIX. Per *mensuram*. " 129
§. CC. Per *pondus* " 130
§. CCI. Aliae dosis significationes. " 131

SECTIO III.

DE ORDINE FORMULAE.

- §. CCII. Quomodo ordo servatur Pag. 131

SECTIO IV.

DE PRAESCRIPTIONIS FORMA.

- §. CCIII. Quae observari debeant quoad formam Pag. 132
§. CCIV. } " 133
§. CCV. } Accessoria formulae " 133
§. CCVI. } " 134
§. CCVII } " 134

IMPRIMATUR

Fr. Hieron. Gigli S. P. A. M.

IMPRIMATUR

P. De-Villanova-Castellacci Archiep. Petrae Viceg.

ARTICULUS IV.

DE METHODO CONCINNANDI FORMULAS

§. CXCL. Quae sit formula
constituatur



Si vende presso la Libreria di Vincenzo Sciomer
piazza di Pasquino N. 73 e 74.